# PETRARQUE AFRICA (6730 vers)

**Pétrarque avait adopté une graphie originale du latin, qui peut dérouter. Pour des raisons techniques, la graphie traditionnelle a dû être rétablie.**

## LIBER PRIMUS

A1
Et mihi conspicuum meritis belloque tremendum,
Musa, virum referes, Italis cui fracta sub armis
nobilis aeternum prius attulit Africa nomen.
Hunc precor exhausto liceat mihi surgere fontem
ex Helicone sacrum, dulcis mea cura, Sorores,
si vobis miranda cano. Jam ruris amici
prata quidem et fontes vacuisque silentia campis
fluminaque et colles et apricis otia silvis
restituit Fortuna mihi : vos carmina vati
reddite, vos animos. Tuque, o certissima mundi
Spes superumque decus, quem saecula nostra deorum
victorem atque Erebi memorant, quem quina videmus
larga per innocuum retegentem vulnera corpus,
auxilium fer, summe parens. Tibi multa revertens
vertice Parnasi referam pia carmina, si te
carmina delectant ; vel si minus illa placebunt,
forte etiam lacrimas, quas (sic mens fallitur) olim
fundendas longo demens tibi tempore servo.
Te quoque, Trinacrii moderator maxime regni,
Hesperiaeque decus atque aevi gloria nostri,
judice quo merui vatumque in sede sedere
optatasque diu lauros titulumque poetae,
te precor : oblatum tranquillo pectore munus
hospitio dignare tuo ; nam cuncta legenti
forsitan occurret vacuas quod mulceat aures
poeniteatque minus suscepti in fine laboris.
Praeterea in cunctos pronum sibi feceris annos
posteritatis iter : quis enim damnare sit ausus
quod videat placuisse tibi ? Fidentius ista
arguit expertus, nutu quem simplice dignum
effecisse potes quod non erat. Aspice, templis
dona sacris affixa pavens ut vulgus adoret :
exime ; despiciet. Quantum tua clara favori
Fama meo conferre potest ! Modo mitis in umbra
nominis ista tui dirum spretura venenum
invidiae latuisse velis, ubi nulla vetustas
interea et nulli rodent mea nomina vermes.
Suscipe, jamque precor, regum inclite, suscipe tandem
atque pias extende manus et lumina flecte.
Ipse tuos actus meritis ad sidera tollam
laudibus, atque alio fortassis carmine quondam
(Mors modo me paulum expectet ! Non longa petuntur)

nomen et alta canam Siculi miracula regis,
non audita procul, sed quae modo vidimus omnes
omnia. Namque solent, similis quos cura fatigat,
longius isse retro : tenet hos millesimus annus
sollicitos ; pudet hac alios consistere meta ;
nullus ad aetatem propriam respexit, ut erret
Musa parum notos nullo prohibente per annos
liberior : Trojamque ideo canit ille ruentem,
ille refert Thebas juvenemque occultat Achillem,
ille autem Emathiam Romanis ossibus implet.
Ipse ego non nostri referam modo temporis acta,
Marte sed Ausonio sceleratos funditus Afros
eruere est animus nimiasque retundere vires.
At semper te corde gerens properansque reverti,
Rex, iter hoc ingressus agam, tua maxima facta
non ausus tetigisse prius. Magis illa trahebant ;
sed tremui, me teque videns atque omnia librans.
Ingenium temptare libet, si forte secundis
cesserit auspiciis ; solidis tunc viribus alta
aggrediar, namque ipse aderis, meque ampla videbit
inclita Parthenope redeuntem ad moenia rursus
et Romana iterum referentem serta poetam.
Nunc teneras frondes humili de stipite vulsi,
Scipiade egregio primos comitante paratus :
tunc validos carpam ramos ; tu nempe juvabis
materia, generose, tua, calamumque labantem
firmabis, meritumque decus continget amanti
altera temporibus pulcherrima laurea nostris.
Quae tantis sit causa malis, quae cladis origo
quaeritur : unde animi, quis tot tolerare coegit
dura pererrato validas furor aequore gentes,
Europamque dedit Libyae Libyamque rebellem
Europae, alterno vastandas turbine terras.
Ac mihi causa quidem studii non indiga longi
occurrit radix cunctorum infecta malorum
invidia (unde oriens extrema ab origine mors est),
atque aliena videns tristi dolor omnia vultu
prospera. Non potuit florentem cernere Romam
aemula Carthago. Surgenti inuiderat urbi ;
Sed gravius tulit inde parem ; mox viribus auctam
vidit et imperio dominae parere potentis
ac leges audire novas et ferre tributum
edidicit, tacitis intus sed plena querelis,
plena minis. Frenum funesta superbia tandem
compulit excutere et clades geminare receptas.
Angebant dolor atque pudor servilia passos
multa viros, animisque incesserat addita duris
tristis avaritia et nunquam satiabile votum.
Permixtae spes amborum optatumque duobus
imperium populis : dignus sibi quisque videri
omnia cui subsint, totus cui pareat orbis.
Praeterea damnumque recens injuriaque atrox
insula Sardiniae amissa et Trinacria rapta
atque Hispania nimis populo confinis utrique,
omnibus exposita insidiis, aptissima praedae
Terra tot infandos longum passura labores,
haud aliter quam cum medio deprensa luporum
pinguis ovis nunc huc rabidis, nunc dentibus illuc

volvitur inque tremens partes discerpitur omnis
bellantum proprioque madens resupina cruore.
Accessit situs ipse loci : natura locavit
se procul adverso spectantes litore gentes,
adversosque animos, adversas moribus urbes,
adversosque deos odiosaque numina utrinque,
pacatique nihil ; ventos elementaque prorsus
obvia et infesto luctantes aequore fluctus.
Ter gravibus certatum odiis et sanguine multo ;
at coeptum primo profligatumque secundo
est bellum, si vera notes : nam tertia nudus
proelia finis habet modico confecta labore.
Maxima nos rerum hic sequimur mediosque tumultus
eximiosque duces et inenarrabile bellum.
Ultima sidereum juvenem lassata procellis
Hesperia excussamque gravi cervice catenam
Ausoniumque jugum Romanaque senserat arma.
Jam fuga praecipites longe trans aequora Poenos
egerat : horruerant animos dextramque tonantis
fulmineam moresque ducis famamque genusque
armorumque novas artes atque orsa cruentis
nobilitata malis. Vix tandem litore Mauro
Perfidus urgentem respectans Hasdrubal hostem
tutus erat : sic venantum perterritus acrem
respicit atque canum cervus post terga tumultum,
montis anhela procul de vertice colla reflectens.
Constitit Oceano domitor telluris Hiberae,
qua labor ambiguus flatum pelagique columnas
verberat Herculeas, ubi fessus mergitur alto
Phoebus et aestivo detergit pulvere currum.
Hic ubi non vis ulla manu mortalis, at ipsa
Omnipotens adversa aditum natura negabat,
constitit atque avidus praereptum faucibus hostem
indoluit. Vicisse parum ; jam blandior aegrum
non mulcet Fortuna animum ; Carthagine recta
gloria gestarum sordebat fulgida rerum.
Nempe videbat adhuc profugum longinqua tuentem
lentaque semineci vibrantem spicula dextra.
Turbida quin etiam rumoribus omnia miscens
fama procul nostro veniens crescebat ab orbe
arcibus instantem Ausoniis volitare sub armis
Hannibalem, patriaeque faces sub moenia ferri ;
illustres cecidisse duces, ardere nefandis
ignibus Hesperiam, atque undantia caedibus arva.
Urgebat vindicta patris pietasque movebat
ut coeptum sequeretur opus. Nam sanguine saevo
caesorum cineresque sacros umbrasque parentum
placari, atque Itala detergi fronte pudorem,
hic amor assiduum pulsabat pectora clari
Scipiadae, in frontem eliciens oculosque juventa
fulgentes calido generosas corde favillas.
Anxia nox, operosa dies, vix ulla quietis
hora duci : tanta indomito sub pectore virtus !
Has inter curas, ubi sensim amplexibus atris
nox udam laxabat humum, Tithonia quamvis
uxor adhuc gelidumque senem complexa foveret,
necdum purpureo nitidas a cardine valvas
vellere seu roseas ausae reserare fenestras

excirent dominam famulae quae saecula volvunt,
fessus et ipse caput posuit. Tum lumina dulcis
victa sopor clausit ; caeloque emissa silenti
umbra ingens faciesque patris per nubila raptim
adstitit ostendens caro praecordia nato
et latus et multa transfixum cuspide pectus.
Diriguit totos juvenis fortissimus artus,
arrectaeque horrore comae. Tunc ille paventem
corripit et noto permulcens incipit ore :
"O decus aeternum generisque amplissima nostri
gloria, et o patriae tandem spes una labanti,
siste metum, memorique animo mea dicta reconde.
Optimus ecce brevem, sed quae, nisi despicis, horam,
multa ferat placitura, dedit moderator Olympi.
Ille meis victus precibus stellantia caeli
limina - perrarum munus - patefecit et ambos
viventem penetrare polos permisit, ut astra
me duce et obliquos calles, patriaeque labores
atque tuos, et adhuc terris ignota Sororum
stamina, tum rigido contortum pollice fatum
aspicias. Huc flecte animum. Viden illa sub Austro
moenia et infami perjura palatia monte
femineis fundata dolis ? Viden ampla furentum
concilia et tepido stillantem sanguine turbam ?
Heu nimium nostris urbs insignita ruinis !
Heu nuribus trux terra Italis ! Iterum arma retentas
fracta semel, vacuisque iterum struis agmina bustis ?
Sic Tybrim indomitum, segnissime Bagrada, temnis ?
Sic modo, Byrsa ferox, Capitolia despicis alta ?
Experiere iterum et dominam per verbera nosces.
Is tibi, nate, labor superest, ea gloria justo
Marte parem factura deis. Haec vulnera juro
sacra mihi merito, patriae quibus omne refudi
quod dederat, quibus ad superos Mavortia virtus
fecit iter : non ulla, meos fodientibus artus
hostibus atque abeunte anima, mihi multa dolenti
occurrisse prius tanti solamina casus,
quam quod magnanimum post funera nostra videbam
ultorem superesse domi. Spes ista levabat
Inde metus alios, hinc sensum mortis amarae."
Talia narrantem percurrit et impia maestis
vulnera luminibus totumque a vertice corpus
lustrat adusque pedes : at mens pia prominet extra,
ubertimque fluunt lacrimae. Nec plura parantem
sustinuit, mediisque irrumpens vocibus orsus :
"Heu heu ! Quid video ? Quisnam haec mihi pectora duro
confixit mucrone, parens ? Quae dextra verendam
gentibus immerito violavit sanguine frontem ?
Dic, genitor ; nil ante queas committere nostris
auribus." Haec dicens alto radiantia fletu
sidera visus erat sedesque implesse quietas.
Infima si liceat summis aequare, marina
piscis aqua profugus fluvioque repostus amoeno
non aliter stupeat, si jam dulcedine captum
vis salis insoliti et subitus circumstet amaror,
quam sacer ille chorus stupuit. Namque hactenus irae
et dolor et gemitus et mens incerta futuri
atque metus mortis mundique miserrima nostri

millia curarum, rapidae quibus optima vitae
tempora et in tenebris meliores ducimus annos :
illic pura dies, quam lux aeterna serenat,
quam nec luctus edax nec tristia murmura turbant,
non odia incendunt. Nova res, auremque deorum
insuetus pulsare fragor, pietate recessus
lucis inaccessae tacitumque impleverat axem.
At pater amplexu cupido precibusque modestis
occupat et gravibus cohibet suspiria dictis :
"Parce, precor, gemitu ; non hunc tempusque locusque
exposcunt. Sed visa animum si vulnera tangunt
usque adeo, juvat et patrios agnoscere casus,
accipe ; nam paucis perstringam plurima verbis.
Sexta per Hesperios penitus victricia campos
nostraque signa simul Romanaque viderat aestas,
cum mihi jam bellique moras curasque peroso
consilium, teste eventu, Fortuna, dedisti
magnificum, infelix, fido cum fratre viritim
sollicitum partirer onus geminumque moranti
incuterem bello calcar. Sic alite laeva
distrahimur tandem et scissis legionibus ambo
insequimur late sparsis regionibus hostem.
Nondum plena colis jam stamina nostra Sorores
destituunt fessae, jam Mars sua signa relinquit.
Illicet imparibus veriti concurrere fatis
fraudis opem dubio poscunt in tempore Poeni ;
ars ea certa viris et nostro cognita damno.
Celtarumque animos, quibus auxiliaribus arma
fratris ad id steterant, pretio corrumpere adorti,
persuasere fugam : nostrorum exempla per aevum
ante oculos gestanda ducum, ne robore freti
externo, proprio non plus in milite fidant.
Obicit ille deos, jus, fas et inania verba !
Raptim abeunt tacitoque vale. Vis quanta metallo est !
Di, Pudor, alma Fides, uni succumbitis auro !
Praesidio nudata acies fraterna retrorsum
avia constituit siccosque recurrere montes :
haec visa est spes una duci. Premit hostis acerbus,
doctus ad extremum cedenti insistere tergo.
Me quoque jam magno distantem Punica tractu
agmina cingebant, quae clam novus auxerat hostis
improbus, insultans. Visum et mihi cedere fato.
Nequicquam : vetitum caro me jungere fratri ;
inferior numero multum tribus undique castris
vallabar, multumque locis urgebar iniquis.
Ferrum aderat ; spes nulla fugae : quod fata sinebant
tempore in angusto, durissima pectora ferro
pandimus et vafras Erebo detrudimus umbras.
Ira dolorque dabant animos : ars bellica nusquam
consiliique nihil. Ceu dum velamina pastor
fida gerens apibus bellum movet improbus almis,
nocte sub obscura trepidant, mox dulcia maestae
excedunt inopi substrata cubilia cera,
inde ruunt caecaeque fremunt, sparsoque volatu
importuno instant capiti ; stat callidus hostis
inceptique tenax, postque irrita vulnera victor
eruit exstirpatque piae cunabula gentis :
sic, quae sola salus miseris et summa voluptas,

invisam jaculis gladioque ultore cohortem
tundimus et rabidas in vulnere linquimus iras.
Illi ex composito stabant, ceu flantibus Austris
aerius consistit Eryx atque astriger Atlas.
Quid moror ? Incauti armorum sub nube virumque
obruimur : fortuna suum tenet invida morem
adversata pios. Gelidus mihi pectore sanguis
haeserat ; agnosco insidias mortemque propinquam ;
nec mihi, sed patriae metuens, pro tempore raptim
ingredior dictis cuneos firmare labantes :
"Hac via praeclari, miles, patet ardua leti.
I duce me, quem saepe alias majore profecto es
Fortuna, nunquam fama meliore secutus !
Non acies ferri, facies non obvia mortis
terreat : exiguo decus ingens sanguine Mavors
obicit et caros illustrat caede nepotes.
Nosce genus, patriamque libens amplectere sortem.
Ignavum fortemque mori - ne tangere damno -
naturae lex una jubet. Breve tempus utrique :
jam, licet et terrae pelagique pericula cessent,
ultro aderit suspecta dies. Hoc fortibus unum
contigit, ut laeti morerentur ; cetera flendo
turba perit lacrimasque metu diffundit inertes.
Hora brevis longae testis venit ultima vitae.
Ergo age, si Latio quicquam de sanguine restat,
morte palam facito ; nam dum fortuna sinebat,
vicimus et nostris exibant funera dextris.
At modo corporibus, - cedunt quando omnia retro -
sit satis obstruxisse viam. Per pectora nostra
perque truces oculos vultusque in morte tremendos
transcendant ! Talem libet his opponere montem,
his claustris vallare aditus ! Sciat horrida veros
Barbaries cecidisse viros, et pallida quamquam,
haud spernenda tamen Romana cadavera calcet !
Accelera, bene nata cohors - in limine mors est
invidiosa bonis - Romanas semper ad aras
cum lacrimis recolenda piis et ture perenni ! "
Talibus accensi coeunt et grandinis instar
scissa nube ruunt. In tela micantia primus
et circumfusos feror irrediturus in hostes.
Consequitur devota neci fortissima pubes.
Sternimus et moritur : paucis tot milia contra
quid reliquum ? Sed fata pii nunc ultima fratris
expectas ; neque enim Hesperia felicior ora ;
ille quidem, extremo fati de turbine frustra
surgere conatus, magnae sub mole ruinae
oppressusque itidem. Nec mors magis ulla decebat
altera quam fratris. Fuerat concordia vitae
mira, vel exiguis nunquam interrupta querelis :
una domus victusque idem, mens una duobus,
et mors una fuit. Locus idem corpora servat
amborum ac cineres. Huc tempus ferme sub unum
venimus. Hic nobis nulla est jam cura vetusti
carceris : ex alto sparsos contemnimus artus.
Odimus et laqueos et vincula nota timemus,
libertatis onus. Quod nunc sumus, illud amamus."
Ille autem illacrimans : "Tua me, tua, care, profundo
corde premit pietas, genitor. Sed mollis inersque

ultio verborum semper fuit, optima rerum.
Dic tamen hoc, o sancte parens : an vivere fratrem
teque putem atque alios, quos pridem Roma sepultos
defunctosque vocat ? " Lente pater ipse loquentem
risit, et "O quanta, miseri, sub nube jacetis !
Humanumque genus quanta caligine veri
volvitur ! Haec" inquit "sola est certissima vita.
Vestra autem mors est, quam vitam dicitis. At tu
aspice germanum. Viden ut contemptor acerbae
mortis eat ? Viden indomitum sub pectore robur
et vivum decus et flammantia lumina fronti ?
Quin etiam a tergo generosum respicis agmen ?
Hos mihi defunctos audebit dicere quisquam ?
Et tamen egregios humani sorte tributi
efflavere animos ac debita corpora terrae
liquerunt. Cernis nitido venientia contra
per purum radiare diem laeta agmina vultu ? "
"Imo" ait "eximie ; nec quicquam dulcius unquam
hos vidisse oculos memini. Sed nomina nosse
est animus ; tibi ne, genitor, contraria mens sit ;
per superos ipsumque Jovem, solemque videntem
omnia, per Phrygios, si qua est ea cura, penates,
per si quid patriae venit huc dulcedinis, oro.
Aut ego fallor enim, aut quosdam hoc ex agmine novi,
et mores habitusque virum gressumque ;
insolitum licet ora micent, tamen ora recordor :
vidi etenim et patria nuper conviximus urbe."
"Vera quidem memoras. Fraus hunc modo rebus ademit
Punica. Periit congressus iniquo
credulus aetate heu ! Nimium Marcellus in illa :
iste memor finis lateri latus admovet ultro
nobiscumve libens caelo spatiatur in amplo.
Crispinus longe sequitur, quem providus uno
absumpsisse die tentaverat hostis ; at illum
languida dilatae tribuerunt vulnera morti.
Alter ibi cecidit moriens, ubi furta latebant ;
inde levis recte penetrans huc spiritus, illic
frigida carnifici dimisit membra cruento.
En Fabium ! Caelo majestas maxima tanti
nominis et rerum jubet habitare sereno.
Cerne ducem quantum ! Licet hic cunctator ab omni
dictus erat populo, tamen ingens gloria tardis
debita consiliis viget. Hunc non flamma non ensis
eripuit Latio, sed dum magis arma premebant
Punica, tranquillum tulit hunc annosa senectus.
Sed magis ardentemque animis pugnasque frementem
cerne per insidias indigno funere Gracchum
corpore seclusum valido et pollentibus armis.
Praeterea Aemilio nimium fors invida Paulo :
aspice, magnanimum terebrant quot vulnera pectus !
Cannensi Romana die defleta supremum
fata putans renuit cladi superesse ; sed ultro
oblatum contempsit equum, multumque rogantem
reppulit et "Nimium" respondit " viximus. At tu
macte animi virtute, puer, discede tuumque
victurum abde caput teque ad meliora reserva.
Dic patribus muniant urbem, dic moenia firment :
condiscant extrema pati ; namque improba saevas

ingeminat fortuna minas, hostisque cruentus
victor adest. Fabio mea verba novissima perfer :
dic me jussorum memorem vixisse suorum,
dic memorem te teste mori. Sed fata feroxque
collega ingenti turbarunt cuncta tumultu :
nuda loco caruit virtus ; tulit impetus illam.
Effuge dum morior, ne forsan plura loquendo
sim tibi causa necis". Dicentem talia ferro
circumstant. Volat ille levis : timor allevat artus
et plumas adjungit equo et calcaria plantis.
Anxia sic genitrix, ubi nidum callidus anguis
obsidet, hinc visae sese subducere morti
optat, et hinc dubitat sua dulcia viscera linquens
infelix ! Pietas tandem formidine victa
cedit, et incussis serum sibi consulit alis,
vicinaque tremens respectat ab arbore fatum
natorum rabiemque ferae, et plangoribus omne
implet anhela nemus strepituque accurrit amico.
Sic ibat juvenis memorandus, saepe retrorsum
lumina maesta ferens : videt ingens surgere campis
naufragium ; videt immitem post publica Poenum
funera sacra ducis fodientem pectora duris
ictibus ; et caelum gemitu pulsabat inani.
Quid moror ? Innumeram licet internoscere turbam
caesorum hoc bello juvenum patriaeque cadentum.
Scilicet immenso studio dum laedere quaerit,
civibus atque inopem spoliat dum fortibus urbem,
complevit caelum vestris ferus Hannibal umbris."
Talia dum genitor memorat, suspiria natus
alta trahens : "Licuit, fateor, cognoscere quicquid
optabam magis, et vultus spectare meorum.
Cetera ni prohibes, nihil est sermone secundi
patris amabilius". "Quin tu modo cominus" inquit
"alloquere atque aures quamprimum invade paratas."
His dictis, tulit ante gradum, frontemque modestam
demisit, patruumque tenens sic incipit ore :
"O venerande mihi, vero nunquamque parente
care minus, si vestra deus dedit ora videre
mortales oculos, alti si lumina mundi
indignoque mihi clarum reseravit Olympum,
da, precor, exiguam nostris affatibus horam,
nam breve tempus adest moneorque in castra reverti.
Oceani subnixa vadis ubi maxima Calpes
impendet pelago caelumque cacumine pulsat,
illic me Romana manent modo signa, ducemque
expectant. Rapidum hoc tandem stat limite bellum."
Suscipit amplexu juvenem placidissimus heros,
atque ita : "Si jussu superum mortalia caelo
membra vehis - nec enim tam magni muneris auctor
alter erit : summum hoc equidem tibi contigit uni
eximiumque decus - , quam de te concipiam spem
dictu difficile est, cui tantam numina vivo
concessere viam. Nam ni divinus inesset
spiritus, haudquaquam hoc homini fortuna dedisset,
quae faciles dispensat opes : arcana videre
caelica, venturos longe praenoscere casus,
et fatum praescire suum, spectare beatas
has animas subterque pedes radiantia solis

lumina et adversos tam vastis tractibus axes ;
haec nunquam fortuna dabit, quia cuncta potenti
sunt servata deo. Qui si te lumine tanto
illustrat, quonam te alii dignentur honore ?
Non ergo immerito : fractos passimque jacentes
Hesperiae campis totiens despeximus hostes,
vidimus et nostrae vindictam mortis ; ab illa
egregiae pietatis habes per saecula famam.
Quidlibet hinc aude mecum ; nam protinus aurem
invenis atque animum vacuum. Quin ocius ergo
ingredimur fandoque brevem consumimus horam ? "
"Dic" ait is "si vita manet post busta, quod almus
testatur genitor, sique haec est vera perennis,
nostra autem morti similis, quid demoror ultra
in terris ? Quin huc potius, quacumque licebit,
evolat assurgens animus tellure relicta ? "
"Non bene sentis" ait : "deus hoc naturaque sanxit
legibus aeternis, hominem statione manere
corporis, edicto donec revocetur aperto.
Non igitur properare decet, sed ferre modeste
quantulacumque brevis superant incommoda vitae,
ne jussum sprevisse dei videare, quod ista
sunt geniti sub lege homines, ut regna tenerent
infima, namque illis custodia credita terrae
et rerum quas terra vehit pelagusque profundum.
Ergo tibi cunctisque bonis servandus in ista est
carne animus propriamque vetandus linquere sedem,
nobilibus curis studioque et amore videndi
promineat ni forte foras corpusque relinquat
ac longe fugiat sensus seque ingerat astris.
Hic decet egregios animos, hic exitus est quem
divini fecere viri meliora sequentes.
Sed dum membra vigent (brevis est mora), suscipe nostri
consilii quid summa velit. Tu sacra fidemque
justitiamque cole. Pietas sit pectoris hospes
sancta tui morumque comes, quae debita virtus
magna patri, patriae major, sed maxima summo
ac perfecta deo ; quibus exornata profecto
vita via in caelum est, quae nos huc tramite recto
tunc revehat cum summa dies exemerit istud
carnis onus puraeque animam transmiserit aurae.
Hoc etiam monuisse velim, nil gratius illi,
qui caelum terrasque regit, dominoque patrique,
actibus ex nostris, quam justis legibus urbes
conciliumque hominum sociatum nexibus aequis.
Quisquis enim ingenio patriam seu viribus alte
sustulerit sumptisque oppressam juverit armis,
hic certum sine fine locum in regione serena
expectet veraeque petat sibi praemia vitae,
justitia statuente dei, quae nec quid inultum,
nec praemio caruisse sinit." Sic fatus amoris
admovitque faces avido stimulosque nepoti.
Ecce autem interea venientum turba, nec ulli
nota fuit facies ; habitus tamen omnibus unus
sidereoque levis fulgebat lumine amictus.
Augusta pauci procul omnes fronte praeibant
jam senioque graves et majestate verendi.
"Haec acies regum est, quos tempora prima tulerunt

Urbis" ait "nostrae ; frons arguit inclita reges.
Romulus ecce prior, famosi nominis auctor,
publicus ipse parens. Cernis, dulcissime, quantus
ardor inest animo. Talem ventura petebant
regna virum. Venit incessu moderatior alter,
relligione nova populum qui temperet acrem.
Hic virtute prius patriae Curibusque Sabinis
insignis, nostramque ideo transvectus in arcem est.
Aspice sollicitum, monitu ceu conjugis almas
instituat leges et euntem dividat annum.
Extulit hunc natura senem, primoque sub aevo
hanc habuit frontem, sic tempora cana genasque.
Tertius ille sequens, qua tu nunc uteris, omnem
militiae expressit regum fortissimus artem,
fulmineus visu, victus quoque fulmine solo.
Quartus arat muros et Thybridis ostia fundat,
praesagus quas totus opes huc convehat orbis,
bifida primaevo connectens moenia ponte.
Frons quinti mihi nota parum, sed suspicor illum
quem nobis regem longe dedit alta Corinthus.
Ille est haud dubie : video tunicasque togasque
et fasces trabeasque graves sellasque curules
atque leves phaleras et cuncta insignia nostri
imperii, currusque et equos pompasque triumphi.
Illum autem numero quem cernis in ordine sextum
servilis solio regem transmisit origo,
et nomen servile manet, sed regia mens est.
Dedecus hic generis virtute piavit et actis ;
condidit hic censum prior, ut se noscere posset
Roma potens, altumque nihil sibi nota timeret."
Finierat. Tunc ille iterat : "Si lecta recordor,
Romuleo cinxisse comas diademate septem
audieram, totidem cognomina certa tenebam.
Alter ubi est igitur ? " "Fili carissime," dixit
"huc et luxus iners et dura superbia nunquam
ascendunt. Illum sua pessima crimina Averno
merserunt, atroxque animus nomenque superbum.
Hunc exposcis enim qui sceptra novissima rexit
rex ferus et feritate bonus ; nam tristia passae
hic libertatis primum Urbi ingessit amorem.
Quin tu animas laetas melioraque regna tenentes
cerne catervatim, verae virtutis amicos."
Tres simul ante alacres alternaque bracchia nexi
ibant. Hos laeto celebrabant agmina plausu
umbrarum atque omni devotum ex ordine vulgus.
Substitit admirans : "Quae tanta est gratia" dixit
"ista trium ? Quis tantus amor connectit euntes ? "
"Hos idemque parens eademque" ait "extulit alvus :
hinc amor. Hisque ipsis libertas credita quondam :
hinc favor. Heu jugulos et vulnera cruda duorum !
Aspice : utrique recens nitet ut generosa cicatrix
pectore in adverso ! Populorum pugna potentum
tergeminis mandata viris, ut sanguine pauco
scilicet innumerae cessarent funera gentis.
Divisis exercitibus conspecta suorum
adversisque oculis sex ultima bella gerebant ;
libertas tunc nostra tremens similisque cadenti
unius ad fatum dubio sub Marte pependit ;

unius est asserta manu. Germanus uterque
occiderat, populoque nimis fortuna favere
coeperat Albano, nisi tertius ille superstes
integer et fratrum mortes et publica fata
restituisset, agens victricia corpora campo,
donec sejunctos spatiis, largoque cruore
defectos, plagisque graves et cursibus haustos,
impiger alterno jugulasset vulnere fratres.
Id recolens nunc exultat : gaudentque vicissim
Germani ad superos nec inulto funere missi.
At, quibus imperium virtus ea contulit, ultro
circumstant memores. Sed quid per singula versor ?
Milia nonne vides spatiosum implentia caelum ?
Publicolam ante alios, tanto cognomine dignum,
praeclarum pietate ducem patriaeque parentem.
Lumina visendi cupidus flectebat, et ingens
agmen erat juxta, stabilem qua vergit ad Arcton
lacteus innumeris redimitus circulus astris.
Obstupuit, quaeritque viros et nomina et actus.
"Care nepos, si cuncta velim memoranda referre,
altera nox optanda tibi est" ait. "Aspice ut omnis
stella cadit pelago, caelumque reflectitur, et jam
candidus Aurorae meditantis surgere vultus
vibrat et Eoa jam somnum diluit unda.
Jam pater admonuit fugientia sidera nutu
ostendens, vetuitque moras. Hoc nosse satis sit,
Romanas has esse animas, quibus una tuendae
cura fuit patriae. Proprio pars magna cruore
diffuso has petiit sedes, meritoque caducae
praetulit aeternam per acerba pericula vitam."

## LIBER SECUNDUS

A2
Talibus intentum pater arripit atque benigne :
"Tempus" ait "caelo descendere. Gratia paucis
huc venisse fuit : patienter abire decorum est."
"Ne propera, precor, alme parens. Quin digeris" inquit
"pauca mihi dubio ? Certumque remitte futuri.
"O nate, exigui solatia temporis" infit
"exigis. Ambiguae subito tibi somnia noctis
omniaque implicitae vanescent visa quietis :
si qua animo memori vestigia forte manebunt,
somnia vana tamen, mentemque errasse putabis.
Sed nequeo sprevisse preces. Dic, nate, quod angit
te magis ; et brevibus celeri te subtrahe Phoebo.
"O genitor, si nota tibi divina voluntas,
sique tibi ante oculos venturum est cernere tempus,
scire velim quid fata parent. Nam bella videmus
aspera terribili Latium quassantia motu.
Hannibal in foribus stat perfidus. Omnia retro
versa cadunt. Nostro pinguescunt arva cruore.
Tot clari cecidere duces. Vos lumina tanti
imperii tam magna duo cecidistis eodem
tempore ; tuncque Italis raptus regionibus est sol,
magnaque sub gemina nutavit Roma ruina.

Quid superest ? Dominam quis nunc manet exitus Urbem ?
Corruet, an stabit ? Quodsi frustra arma movemus,
exime tot curas animo tantosque labores :
somnum redde oculis et membris redde quietem.
Nam mihi si, cogente deo, patriaeque cadendum est,
quid juvat obniti contra fatoque prementi
humanas afferre manus ? Moriamur inermes !
Vivat et in toto regnet ferus Hannibal orbe ! "
Non tulit indignantem animo pater optimus : "Immo,
immo" ait "armato latronem pellere luscum
finibus Ausoniae dabitur. Discedet iniquo
inde animo, metuetque alienam linquere terram
sanguinis ac praedae sitiens, at maesta suorum
plebs metuens belloque nimis turbata propinquo
hunc repetet retrahetque domum. Postquam Africa tanget
litora, funesto veritus confligere campo
congressus volet ante tuos. Tu furta caveto
insidiasque viri. Doceant te dira duorum
funera barbarico confecta ferociter astu.
I tamen atque hostis crudelem conspice vultum
et dictis intende aurem cautusque vigilque
insidiosa senis versuti percipe verba.
Si renuis retrahisque pedem, mihi crede, per orbem
aut timidus videare aliis aut forte superbus.
Ille quidem varia tentabit flectere mentem
arte dolisque novis, dulcem per singula pacem,
pacem iterans, pacisque tegens sub nomine fraudem,
unicus eversor pacis. Firmissime, persta
propositumque tene. Nil de patriaeque tuaque
majestate cadat ! Fremet ille et tristia coram
fata videns, humiles voces summissaque verba
ore dabit ficto : juvenem semperque secundis
assuetum casus varios librare monebit
fortunae, ac multa ancipiti sermone tremenda
proferet eventusque ducum. Cum nulla videbit
verba altum movisse animum, tum tristis et ira
fervidus, arma fremens bellumque, in castra redibit.
Pugna erit ambiguo quam spectent fata favore,
cujus ad eventum toto timeatur in orbe.
Sanctior his preerit castris, dux impius illis :
hinc virtus objecta malis cultusque modesti
et pudor et benesuada fides pietasque comesque
justitia et reliquae vibrabunt arma Sorores ;
Inde furor, dolus et rabies et nescia veri
pectora contemptusque dei fervensque libido
caecaque perpetuis crescens sub litibus ira
et scelerum species horrendae et nomina multa.
Victor eris bello tandem, victoria nec te
efferet ; ast illum fortuna adversa repente
prosternet. Victus fugiet peregrinaque tanget
litora, qua Grais Asiam regionibus aestus
Hellespontiaci dirimit maris. Omnia tandem
tentabit, regumque pedes indignaque supplex
continget genua atque aliena precabitur arma,
Italicas ardens iterum ruiturus in oras,
si fortuna sinat. Nobis sed amicior illa,
jam longis satiata malis, funesta retrorsum
consilia evertet. Quid multa ? Vagabitur exul

pessimus et terras virus disperget in omnes,
Romanos in morte petens. Ceu saxea saevum
cum forte in triviis tempestas obruit anguem,
ille furit, moriensque minas vomit atque venenum
mille ligans caudam squamosaque corpora nodis,
horrificus solo aspectu, postrema cruentus
sibila languentesque oculos attollit et ipsum
saevit in auctorem frustra : sic turbidus iste
mille vias moribundus aget. Quo tempore forte
publica dum perages mandata, videbis inermem
securus, faciemque trucem quae terruit orbem.
Colloquio festiva dies videatur amico,
tantorum felix Ephesus sermone virorum.
Fama quidem mendax falsa cum lance nefandos
aequat iniqua bonis. Facinus dum grande, tremendum,
horrendum dictu invenit, canit orba per orbem,
nec dirimit causas. Patriam juvat ille cadentem,
laudatur ; multaque alius cum strage cruentas
captat opes regnumque sibi jaciturus in auro,
hic quoque laudatur. Laudabitur Hannibal atque
Scipio : posteritas mirabitur omnis utrumque.
Heu par dissimile et diverso sidere terris
illatum ! At vulgus discernere, quanta sit inter
magnificum ac tetrum facinus distantia, nescit.
Quam subito miris animum volet ille loquendo
flectere blanditiis ! Seu sunt haec Punica semper
pectora, seu laudem virtus vel ab hoste meretur,
praecipue tam rara quidem. Verum illa jocosum
qualiacumque tibi risum fortasse movebunt,
nil aliud. Sic ille graves in morte reflexus
cum dederit falsaque animum spe paverit amens,
tandem Bithynica ruet imperterritus aula,
dux atrox, Urbique metum depellet et orbi.
Hostis fata vides, tanto quem tempore tellus
sustinet Ausoniae. Quodsi Romana requiris,
pauca, sed e medio fatorum intentus acervo
accipe. Proclivem faciet victoria praesens
ad reliquas facilemque viam, nullumque pudebit,
quem teneat Carthago potens, apprendere portum.
Illa jugum populos et ferre tributa docebit.
Illicet Aetolus consurget vanus ad arma,
proruet Antiochus ; fratris junioris et illum
vincitis auspiciis, teque orbis noscet Eous,
ut Zephyrus pridem ac pluvialis noverat Auster.
Inde alia ex aliis nascentur bella, sed omnes
vincet Roma minas et totum proteret orbem.
Victa jugum regna excipient : sub legibus ibunt
mox Galatae Macedumque furor ; nil regia possunt
nomina, nil patrum egregii prodesse labores.
Magnus Alexander totiens revocatus ab urna
si redeat, mea sit quaenam sententia nosti :
Graecia tota brevi procumbet tempore victa
et male caesorum poenas dependet avorum.
Hic placet et Glabrio et spectata modestia Memmi
Flaminiique animus, claris qui crescere factis
incipit et tecum tentat certamina famae.
Res instant variae, series quoque longa laborum :
florida jamque viris venit armipotentibus aetas.

Haec mihi jam Scauros, Drusos crebrisque Metellos
insignes titulis et nomina clara Nerones
protulit. Hoc olim veniet de stipite ramus
pestifer ac populis umbra nociturus iniqua.
Jam sensim assurgunt rigida virtute Catones.
O utinam domus illa minus foret invida nostrae !
Surgunt Aemilii, quorum de gente nepotem
elige, qui nomen gestis mereatur avitum,
relliquiasque tuas ferro consumat et igni,
durior id meritis odioque accensus honesto.
Longius incedam ; jamque hinc Syllamque ferocem
Pompeiosque graves animosaque pectora Bruti
ante oculos habeo, stupeoque ubi condere ferrum
audeat. Hinc rerum summa ad fastigia ventum est
Caesareumque genus toti dominarier orbi
praevideo. Quid cuncta sequor ? Non ditior unquam
urbs animis erit egregiis ducibusque supremis.
Crederet hoc aliquis ? Campano raptus aratro
unus erit bello eximius, qui nostra sub Austrum
signa ferat Libyamque iterum premat, inclita regum
colla triumphali victor fracturus ab arcu,
bisque sub extrema Latium formidine solvat
obsidione gravi, calidaque reversus ab ora
atque Alpes subito jussus transire nivosas
praeter Aquas Sextas - dicunt sic nomine vallem -
Teutonicum insigni compescat strage furorem ;
post simili ardentes prosternat vulnere Cimbros.
Orbis in extremi latebras, ubi castra locasti,
nunc, juvenis memorande novis per saecula factis,
Magnus item juvenis veniet ; nec dignior alter
nomen habet Magni. Hic Tagum Baetimque et Hiberum
coget ferre jugum dominumque agnoscere Tibrim.
Hic idem nimia civem feritate rebellem
contundet. Tibi nulla animum contingat honestum
invidia ; atque alios patiaris ad alta volare.
Nullus erit nullusque fuit cui gloria tota
cesserit : illa novis semper parat integra partem.
Vita brevis, rerumque venit longissimus ordo.
Quid fiet, nisi quaeque suos produxerit aetas
venturis qui sponte velint occurrere fatis ?
Sufficeret cunctis spatio si temporis unus,
publica res poterat duce te contenta fuisse.
Tu si quidem laetus mecum, dum bella gerentur,
hic eris, et juvenem egregium laudabis ab alto.
Pauca ex innumeris memoro : majora supersunt
gesta viri, plectroque aliis majore canenda.
Namque hic praecipiti - sit fas dixisse - volatu
victor ab occasu discedens victor ad ortus
perveniet nomenque Italum super astra levabit.
Omnia succumbent : multis fortuna triumphis
larga volet ditare ducem ; moderatior autem
implendusque animus paucis, quod laurea triplex
stringat honesta comas, quod ter sua Roma verendo
exstantem curru videat, contentus abibit.
Hic et piratas pelago depellet ab omni :
vincetur Judaea tenax, Armenia duplex.
Cappadoces Arabesque et lato corpore Ganges,
Persis et Arsacides : Rubroque a litore tandem

omnia vincentes rigidam veniemus ad Arcton.
Et glaciale solum, Tanaim et Maeotida duram
Riphaeosque procul tangemus in aethere montes.
Attriti longo fugient certamine reges
et vitam simul et regnum bellumque perosi.
Caspia calcabunt victores claustra, Sabaeam
turicremasque domos : intacti limina templi
intrabunt cernentque adyti penetralia sacri.
Purpura non illos, non gemmae aurumque movebunt :
thesauros inter medios mucrone trementi
paupertas Romana venit nec tangitur illis.
Insula non toto restabit libera ponto,
non tellus seu pressa vagis seu stantibus astris.
Aula sub imperium veniet ditissima Cypri,
Creta superstitionum ingens domus atque magistra
Euboicumque latus, Phoebo Rhodus inclita et undis,
tum salis Aegaei, caelo velut astra sereno,
Cyclades effusae medio, clipeusque potentis
Trinacriae et crasso dives Sardinia caelo
pauperiorque solo sed apricis Corsica saxis,
et quicquid Tusco jacet aequore, quicquid Hibero,
quicquid et Adriaco. Sed quis cum classe frementem
ibit in Oceanum ? Fortissimus ille nepotum
unus erit magno semper cantandus in orbe,
Gallica qui vario complebit rura pavore
et fluvios atri violabit sanquinis unda.
Inde procul caelo et terra pelagoque repostos
auricomos rapido calcabit Marte Britannos,
stringet et indomito luctantem gurgite Rhenum
pontibus, hostilesque tenens cum milite fines
tristia caeruleis Germanis bella movebit.
O felix, si forte modum sciat addere ferro !
Nesciet heu ! Noletque miser ; sed turbine mentis
victrices per cuncta manus in publica vertet
viscera, civili foedans externa cruore
proelia et emeritos indigno Marte triumphos ;
me tamen infami tam multa decora furore
commaculare pudet. Quam turpiter omnia calcat
ambitus, ut totum imperium sibi vindicet unus,
primus et exemplum reliquis, spolietque superbus
aerarium, miserosque novo legat ordine patres !
Haec et Pharsalicas mortes Ephyreaque tela,
Tharsonque et Mundam et Capitolia sanguine tincta,
omnia praetereo. Succedet maximus illi
inde nepos clara veniens a stirpe sororis.
Hic mihi longinquos mittet sub legibus Indos,
Aegyptumque ferox et barbara sistra moventem
uxorem Latii capiet ducis ; inde per omnem
fulminet ense diem, reges pede supprimat altos.
Hic parere ferum Romanis fascibus Histrum
perdoceat, geminaeque solum quod subjacet Ursae.
Hic Urbem tribus invectus de more triumphis
edicet toti praecepta incognita mundo,
et summo celsus solio summissa videbit
sceptra sibi clarosque duces atque agmina vulgi
munera ferre omnes studioque ardere placendi.
Jam senior rigidos bello contundet Hiberos.
Ultimus ille labos : exhinc tranquilla sequuntur

saecula : tum gemini claudentur tristia Jani
limina et aerati jungentur cardine postes,
inde gravem tumulo mittet veneranda senectus
digressum amplexu et dilectae conjugis ulnis.
Hujus post cineres video Romana reverti
fata retro et pulcros prolabi ad turpia mores.
Hei mihi ! Quid moreris ? Tecum moritura propago
nominis est nostri. Sed tu tibi debita nactus
alta petes convexa poli. Quid turba superstes,
ludibrium mundo generisque infamia primi ?
Tartara conspiciet meritis Stygiosque recessus.
At nimium propero : video par nobile, natum
atque patrem et gemino Capitolia laeta triumpho.
Laurea bina viret, duplex quoque purpura, currus
non videor spectare duos, contenta sed uno
it pietas : nova res equidem et dignissima fama.
Corruet his ducibus Jerosolyma, victaque ferro
inclita relligio, et gladiis perrumpere sacra
fas erit et poterunt populi peccata mereri.
Ulterius transire piget ; nam sceptra decusque
imperii tanto nobis fundata labore
externi rapient Hispanae stirpis et Afrae.
Quis ferat has hominum sordes nostrique pudendas
relliquias gladii fastigia prendere rerum ? "
Amplius urgentem quoniam frenare dolorem
non poterat, rupit lacrimis et voce loquentem :
"Quid miserum ! Pater alme, refers ? Tantumne licebit
fortunae ? Prius in Stygias convulsa paludes
astra cadent ; prius aethereo trux arbiter Orci
victor erit solio caelique tonabit ab arce,
Africa quam Romae victrix sua jura suumque
nomen in aeternum rapiat." Non longa dolentem
passus ait : "Depone, precor, lacrimasque metumque :
vivet honos Latius, semperque vocabitur uno
nomine Romanum imperium ; sed rector habenas
non semper Romanus agebat quin Syria mollis
porriget ipsa manum, mox Gallia dura, loquaxque
Graecia, et Illyricum ; tandem cadet ista potestas
in Boream : sic res humanas fata rotabunt.
Forte sub extremos annos mundique ruentis
interitum ad proprias sedes fortuna redibit.
Altius incumbes atque Urbis cetera nostrae
fata petes. Unum hoc de pluribus ille supernus
abscondit sub nube deus ; sed, noscere quantum
permissum est animi augurio, non victa sub hoste
Roma ruet, nullique data est ea gloria genti,
nulli tantus honor populo. Vincetur ab annis
rimosoque situ paulatim fessa senescet
et per frusta cadet. Nulla unquam, nulla vacabit
civilique odio et bellis furialibus aetas.
Tempus adhuc veniet cum vix Romanus in urbe
civis erit verus, sed terras lecta per omnes
faex hominum ; tamen et tunc se male sana cruentis
turba premet gladiis, et ni fortissimus unus
vir aliquis dignus meliori tempore nasci
opponat sese medium frontemque manumque
litibus ostendat, superest quodcumque cruoris
pectoribus miseris, per mutua vulnera fundant.

Hoc solamen habe : nam Roma potentibus olim
condita sideribus, quamvis lacerata malorum
consiliis manibusque, diu durabit eritque
has inter pestes nudo vel nomine mundi
regina. Hic nunquam titulus sacer excidet illi ;
qualiter annosum vires animusque leonem
destituunt, sed prisca manet reverentia fronti
horrificusque sonus, quamquam sit ad omnia tardus,
umbra sit ille licet, circum tamen omnis inermi
paret silva seni. Sed quis vel noscere certam
audeat, aut rebus tantis praefigere metam ?
Vis loquar ? In finem, quamvis ruinosa, dierum
vivet et extremum veniet tua Roma sub aevum
cum mundo peritura suo." Sic fatus ab alto
pectore suspirans tacuit, dextraque sequentem
per nitidum conducit iter. Jam prona cadentis
calcabant convexa poli, gradibusque suprema
linquebant levibus. Qui lumine terga feriret
Lucifer altus erat ; tamen una erat umbra duorum,
Atlantisque ruens de vertice plena propinqui
Cynthia conspecti splendebat imagine fratris.
Hic iterum genitor sacro veneranda resolvit
ora sono. Stetit eximia dulcedine mundus
captus et aeternos tenuerunt astra meatus.
"Nate, prioris" ait "solamen et optima vitae
pars mihi, qui laeto cumulas nunc gaudia caelo,
quodque ego non rebar, facis ut spectando beatus
mortalem videar mihi me felicior ipso,
huc aures intende pias et pectora veri
plena refer. Mora nostra brevis, namque invida noctis
umbra abiit, pelagusque operit jam fluctibus astra.
Omnia nata quidem pereunt et adulta fatiscunt ;
nec manet in rebus quicquam mortalibus ; unde
vir etenim sperare potest populusve quod alma
Roma nequit ? Facili labuntur saecula passu :
tempora diffugiunt ; ad mortem curritis ; umbra,
umbra estis pulvisque levis vel in aethere fumus
exiguus, quem ventus agat. Quo sanguine parta
gloria ? Quo tanti mundo fugiente labores ?
Stare quidem vultis, sed enim rapidissima caeli
vos fuga praecipitat. Cernis quam parva pudendi
imperii pateant circum confinia nostri ?
Haec tamen heu quanto nobis extenta labore !
Nunc quoque quam multo vobis servanda periclo !
Finge quod esse potest, et erit, nisi fata benigni
paenitet incepti : totius sola sit orbis
Roma caput, terris dominetur sola subactis.
Quid tamen hic magnum ? Tanto quid nomine dignum
invenis ? Angustis arctatus finibus orbis
insula parva situ est, curvis quam flexibus ambit
Oceanus, viden ut parvus cognomine magno ?
Nec tamen hanc totam incolitis. Nam multa paludes,
multa tenent silvae ; pars rupibus hispida torpet,
parsque riget glacie ; pars squalet inusta calore,
serpentumque domos calidis tegit aestus harenis.
Utque simul totum videas, huc lumina volve.
Verticibus caeli adversos atque alta tenentes
cernis stare polos, subjectaque cuncta duobus

perpetuo durata gelu ? Prohibetur ab illa
stirps hominum regione procul ; nil nascitur illic
quod victum praestare queat. Qua semita solis
latior, obliquusque vagis it circulus astris,
ignibus arva rubent, mediusque exaestuat ingens
Pontus et ardorem male caeli temperat humor
subditus. Huc olim prisci finxere poetae
convenisse deos, potuque ciboque refectos
Aethiopum cum rege gravis duxisse sub umbra
Atlantis placidam tranquillo numine noctem :
quod fictum est ideo quia numina magna putabant
sidera, quae liquidis primum vescuntur in undis,
Aethiopum quas litus habet, mox fessa videntur
vergere ad occasus, ubi maximus eminet Atlas,
ultima terrarum qui possidet : ille paratus
excipit ac magno venientia contegit antro.
Sed redeo : mediam vetitum est attingere zonam,
aetheris hinc etenim vos inclementia longe
summovet ; at circum flammis permixta tepescunt
frigora ; sic gemina mortales sede fruuntur.
Altera sed vobis est invia : separat illam
et calor et pelagus. Statio tantum unica restat
parva, sed haec vasto nimis interrupta locorum
desertoque habitu ; linguarum dissona multum
murmura, diversi mores. Haec crescere famam
impediunt ; nulli toto cognoscier orbe
contigit. Extrema quis erit bene notus in Arcto,
et Nili ignotum continget nomine fontem ?
Quem sua Taprobani commendet gloria, et idem
litus ad Hibernum resonet ? Mortalia quorsum
vota ruunt ? Amplam cupiunt diffundere famam ;
Saepta sed arcta vetant. Angusto carcere clausos
somnia magna juvant ; at cum lux ultima somnum
excutit ac tenebras adimit ? Tum cernere verum
heu miseri sero incipiunt, et tempora retro
nequicquam aspiciunt, abeuntque amissa gementes.
Illa quoque in vobis ridenda insania mentes
occupat : aeternum cupitis producere nomen,
saecula demulcent animos numerosa, venitque
posteritas longa ante oculos ; libet ire per ora
doctorum extinctos hominum, clausosque sepulcro
liberiore via per mundi extrema vagari.
Vivere post mortem, violentas spernere Parcas
dulcia sunt, fateor, sed nomine vivere nil est.
Vivite sed melius, sed certius : ardua caeli
scandite felices, miserasque relinquite terras.
Hic vos vita manet, quam saecula nulla movebunt,
quam nec tristis hiems, nec noxia torqueat aestas,
anxia sollicitam quam non opulentia reddet,
querula non maestam paupertas, pallida non mors
obruet, haud nocuo vexabunt sidere morbi
corporis atque animi. Sine tempore vivite ; nam vos
et magno partum delebunt tempora nomen,
transibuntque cito quae vos mansura putatis.
Una manere potest occasus nescia virtus.
Illa viam facit ad superos. Hac pergite fortes,
nec defessa gravi succumbant terga labori.
Quod si falsa vagam delectat gloria mentem,

aspice quid cupias : transibunt tempora, corpus
hoc cadet et cedent indigno membra sepulcro ;
mox ruet et bustum, titulusque in marmore sectus
occidet : hinc mortem patieris, nate, secundam.
Clara quidem libris felicibus insita vivet
fama diu, tamen ipsa suas passura tenebras.
Ipsa tuas laudes aetas ventura loquetur ;
immemor ipsa eadem, seu tempore fessa, tacebit
immemoresque dabit post saecula longa nepotes.
Magna geris, majora geres, immensaque victor
conficies tu bella manu et dignissima fama :
res multis laudata quidem laudandaque multis.
Cernere nam videor genitum post saecula multa
finibus Etruscis juvenem qui gesta renarret,
nate, tua et nobis veniat velut Ennius alter.
Carus uterque mihi, studio memorandus uterque :
iste rudes Latio duro modulamine Musas
intulit ; ille autem fugientes carmine sistet ;
et nostros vario cantabit uterque labores
eloquio, nobisque brevem producere vitam
contendet ; verum multo mihi carior ille est
qui procul ad nostrum reflectet lumina tempus.
In quod eum studium non vis pretiumve movebit,
non metus aut odium, non spes aut gratia nostri ;
magnarum sed sola quidem admiratio rerum,
solus amor veri. Sed quid tamen omnia prosunt ?
Jam sua mors libris aderit ; mortalia namque
esse decet quaecumque labor mortalis inani
edidit ingenio. Quos si tamen illa nepotum
progenies servare velit, senioque nocenti
vim facere ac rapido vigilans obsistere saeclo,
non valeat, tam multa vetant ; fatalia terris
diluvia et populos violentior aestus adurens,
et pestes rerum variae caelique marisque,
bellorumque furor toto nihil orbe quietum
stare sinens. Libris autem morientibus ipse
occumbes etiam ; sic mors tibi tertia restat.
Quot modo in extremo claros Oriente vel Austro
esse viros reris ? Tamen ad vos mittere nomen
non potuere suum. Quot prima aetate fuisse
illustres famamque ausos sperare perennem,
nunc tamen ignotos ? Annorum, nate, locorumque
aestis in angusto positi. Quae cuncta videntem
huc decet, huc animos attollere. Vulgus inane
viderit in terris quo te sermone loquatur.
Despice quisquis is est, et si mea jussa merentur
te docilem, humanum, jubeo, contemne favorem,
neve ibi tantarum rerum spem pone tuarum.
Illecebris trahat ipsa suis pulcherrima virtus.
Gloria si fuerit studiorum meta tuorum,
pervenies equidem, sed non mansurus, ad illam.
Praemia sin autem caelo tua, nate, reponis,
quo semper potiaris habes sine fine beatus
et sine mensura. Quod si dulcedine famae
tangeris et stimulis etiam nunc pungeris istis,
quod praeclara tuo stat gloria fixa labori
polliceor : veniet pretium tibi, nate, quod optas ;
illa vel invitum, fugias licet, illa sequetur.

Ut sub sole vagum comitatur corporis umbra
ipsa tui : quocumque gradum tu flexeris, illa
flectitur et stat, si steteris ; sic fama volentem
nolentemque simul sequitur. Sed numquid ineptum
dixeris arenti gradientem in pulvere, ut umbram
aspiciat post terga suam ? Non sanior ille est
qui terit aetatem frustra corpusque fatigat,
aut animum curis onerat, nihil inde reposcens
ni laudem et vanos populi per compita ventos.
Quaenam igitur, quaeres, mea sit sententia. Dicam.
Ille eat ut metam teneat, licet inter eundum
umbra sequatur iter ; virtutis amore laboret
hic alius, caelumque sibi sit terminus, et non
gloria, quae meritos sequitur, vel spreta, labores.
Ergo age, nate, viam, tibi quam super ardua monstro,
ingredere, aut potius coeptum ne desere callem.
Publica res duce te vigeat, victrixque supremo
cardine fortunae sedeat. Spectabit ab astris
quicquid ages placidus rex cuncta tegentis Olympi,
laetus honore tuo, sed nullo laetior actu
quam quod te patriae baculum superesse labanti
nomen et hoc merito Scipionis habere videbit,
cognomenque aliud tibi quod tua facta parabunt.
Insuper id moneo, memorique hoc imprime menti :
post studium recti patriaeque parentis amorem
proxima de caris tibi cura supersit amicis.
Pronus amicitias amplectere, quas tibi virtus
conciliat, partasque cole ; hoc da, nate, roganti.
Rebus in humanis nil dulcius experiere
alterno convictu et fido pectore amici.
Est equidem ex multis tibi nunc certissimus unus
Laelius. Arcani sit conscius atque minister
ille tui, regat affectus pectusque profundum
cernat inaccessum reliquis. Post tempore multo
Laelius alter erit domui claroque nepoti
carus et eximio pariter conjunctus amore.
Hinc olim multi errabunt, parque omnibus unum
Laelius et Scipio celebrabitur inter amicos
quos tulit extrema veniens ab origine mundus,
cum duo sint paria et longo distantia tractu.
Suscipe tu primum, nec, sis licet altus, amicum
despice plebeium, quoniam de plebe verendi
surrexere viri, quos nobilioribus aequos
viva tulit virtus animusque parentibus impar."
Dixerat. Ille autem : "Tua per vestigia quamquam
ingressus, nunquam patrio memor ipse decori
defuerim, tamen admonitus vigilantior ibo
quo me, sancte, vocas, genitor. Sed muta monentem
te fatum tacuisse meum, pater optime, miror".
Maestior ille equidem : "Tua te, dulcissime, virtus
aspera cuncta pati doceat. Quid fata reservent
ultima praeclaro malis nescire labori.
Ingratam patriam - piget heu narrare pudetque -
experiare licet, facili contentus abito
vindicta. Non arma tibi, non castra movenda,
etsi forte queas. Praestat quamcumque subire
fortunam : patriam servatam perdere noli
et meritum vastare tuum. Fugat illa ? Recede.

Non revocat ? Persta. Sed praeclarissimus exul
viventi illatum moriens ulciscere verbo
dedecus, et patriae cineres atque ossa negato,
ingratamque voca, memorique inscribe sepulcro.
Hoc liceat tantum ; tibi nil permiseris ultra.
Jamque vetor traxisse moras. Memor ergo parentis,
nate, vale, et mitis surgentem dirige fratrem ;
isque viam post te tua per vestigia servet.
Dixit et aequavit fugientia sidera cursu.
Interea lux orta super tentoria fulsit
irrupitque ducis durum rubicunda cubile.
Bucina castrorum cecinit, sonituque tremendo
attonitum subito somnusque paterque reliquit.

## LIBER TERTIUS

A3 Impiger astrigerum postquam sol perculit axem
et rapidos immisit equos, cessere trementi
sidera cuncta fuga. Consurgit maximus heros
singula pertractans animo, quae visa per umbras
intulerat nocturna quies : " Cur dulcia patri
oscula non rapui ? Cur vertere terga parantem
non tenui prendique manu ? Cur ista ruit nox
tam cito, nec licuit placito sermone morari ?
Multa petiturus fueram : quibus ultima campis
agmina concurrant, seu qua regione profundi ;
quantum in amicitiis fidei ; quam barbara regum
pectora fida forent ; quanam tellure sepulcrum,
quodve genus mortis sors imperiosa reservet
vel mihi vel fratri ; qui sit patruelis amati
exitus aut fatum, nam pridem est cognita virtus ;
omnibus an soli mihi nunc injuria carae
impendet patriaeque nefas. At forsitan ista
sit melius nescire mihi, ne conscia finis
adverso retrahat virtus sua carbasa vento.
I modo qua coeptum est, patriaeque ignosce furenti ;
nescit enim quid agat. " Sic secum fatus amicum
acciri propere Laelium jubet. Illicet ille
affuit, atque oculos tacitus frontemque verendam
suspiciens immotus erat. " Carissime Laeli,
magna animo volvuntur " ait ; " quae gessimus ambo
sufficiant fortasse aliis ; et quantula res est
Italicas inter clades miserandaque fata
Hispanas fregisse acies ? Vacua ista periclo
militia. Et quantum nostris est dedecus armis,
ni coeptum peragatur opus ! Timuisse videmur
horrifici ducis aspectum et longinqua petisse
proelia non ausi patria concurrere terra
moeniaque obsesse defendere dulcia Romae.
Exiliumne fugamne hostes civesque vocabunt ?
Nescio quid tibi nunc animi, quid roboris insit ;
sed mediocre aliquid nequeo sperare. Sit ergo
incepisse aliis clarum et memorabile factum ;
at mihi non satis est, aliquid dum restat. Iniquam
Hanibalem revomentem animam prius ipse videbo

tot nostros placare duces, Carthago profundo
perfida subsidet, quam pectoris ira quiescat
alta mei ; moriarque libens, dum tristia possint
morte mea aequari Poenorum vulnera nostris.
Numquid justa deus pro nobis tela movebit
tantorum vindex scelerum ? Num fulmina caelo
descendent ? Num perjure densissimus Atlas
telluris clipeus, mundi tutela nefandi,
cedet sponte loco radice revulsus ab ima,
serpentumque acies montesque immittet harenae
ardentis, facietque viam spirantibus Austris ?
Num piger infames contorto vertice muros
Bagrada discutiet gelido violentior Histro,
scelestasque animas ultricibus obruet undis ?
Vicimus : imbelles teneant licet arma lacerti,
bella deus peraget perjuria crebra perosus.
Jam tamen hinc humeris onus hoc incumbere nostris
provideo, taedetque morae, sed multa necesse est
scrutari et longe venientes cernere casus.
Africa tota odiis ardet : non litora portum,
non domus hospitium praestat, non pabula terrae.
Quocumque intendas oculos, hostilia cernas
omnia. Quae primum teneat navalia classis,
miles agros ? Ubi nostra duces tentoria figent ?
Quis tutum monstrabit iter ? Quis rura, quis urbes
edoceat moresque hominum ? Quis fluminis alti
ad vada praecedat trepidantes ire choortes ?
Singula sunt igitur studio tractanda sagaci.
Id primum tentare velim, si barbara corda
ulla fides habitat. Nomen fortasse Syphacis
audisti. Cunctos illum praecedere reges
fama refert opibus, nec avorum sanguine quisquam
altior incedit populisque vel ubere regni.
Is nobis temptandus erit : si fama Latini
nominis in Libycos potuit penetrare recessus,
flectetur forte alloquio precibusque benignis ;
barbara namque etiam nonnunquam gloria mulcet
pectora et agrestes animos. Ea litora nobis
hostilem in patriam transgressis - namque ea mens est -
opportuna reor coeptoque accommoda bello.
Haec tibi cura datur, vir optime : nam tibi sermo
dulcis adest placidaeque ingens solertia mentis.
Perge animum placare ferum et molire loquendo. "
Dixerat. Is raptim religans a litore funem
aequoreas superat fautes, qua litus Hiberum
dividit a Libycis pelagi brevis aestus harenis.
Illa dies Maura proram statione recepit.
Hinc propere ad regem niveis suggesta columnis
atria surgebant. Fulvo distincta metallo
regia praefulgens
ordine gemmarum vario radiabat in orbem.
Hic croceos, illic virides fulgere lapillos
aspiceres altoque velut sua sidera tecto.
Signifer in medio sinuosi tramitis arcu
aureus obliquos supremo culmine cursus
assidue faciebat. Ibi ceu lumina septem
quae vaga mundus habet, septem vafer ordine gemmas
clauserat ingenio, nondum lapis, optimus Atlas.

Tardior haec gelidoque seni magis apta placere ;
illa minax longeque rubens ; ast illa benignis
ire videbatur radiis, tectumque Serena
luce coruscabat. Medio carbunculus ingens
aequabat solare jubar largoque tenebras
lumine vincebat : mira virtute putares
hunc proprios formare dies, hunc pellere noctes
solis ad exemplum. Post hunc duo lumina motu
splendebant parili ; sed quod rutilantius ibat
spectando subitos animis spargebat amores.
Cornua de fusco sinuans adamante, deorsum
impigra praecipiti celebrabat Luna meatu,
atra quidem, at radiis circum illustrata supernis.
Haec supra horrificis diversa animalia passim
vultibus et variis cernuntur sculpta figuris.
Cornibus intortis Aries stat in ordine primus
devexa in tergum facie, ceu maestus in undis
horreat egregiae fluitantia membra puellae.
Inde ferox Taurus faciesque imposta natanti
stirpis Agenoreae. Juvenum mox clara duorum
corpora, progenies Ledae, par nobile fratrum.
Quarta sed aequorei species venit horrida Cancri,
quem frons praerapidi sequitur metuenda Leonis.
Post illum it vultu roseo pulcherrima Virgo.
At gravis hinc illinc extantia bracchia Librae
instabiles paribus compensant passibus horas.
Scorpius hinc cauda perlustrat tecta minaci
ingentesque aperit Chelas ; hinc Thessala monstra,
semiviri informis species, cui vultus et armi
sunt hominis tensoque senex spectabilis arcu
horrifer occursu pharetraque incinctus eburna,
infima pars quadrupes ; juxtaque adsurgit in altum
forma levis Capreae, rutilo cui cornua in auro
effulgent fissoque riget pes ungue bicornis.
Post ingens nudi effigies nimboque nigranti
frons velata hominis velut aethere pronus ab alto
fundat aquas ; factoque natant in gurgite Pisces
pectoribusque secant caudisque trementibus undas.
Signa poli duodena vago dum lumine raptim
collustrant operique inhiant et cuncta sequuntur,
undique fulgentes auro speciesque deorum
et formae heroum stabant atque acta priorum :
Jupiter ante alios, augusta in sede superbus
sceptra manu fulmenque tenens ; levis armiger ante
unguibus Idaeum juvenem super astra levabat.
Inde autem incessu gravior tristisque senecta,
velato capite et glauco distinctus amictu,
rastra manu falcemque gerens Saturnus agresti
rusticus aspectu natos pater ore vorabat ;
flammivomusque draco caudae postrema recurvae
ore tenens magnos sese torquebat in orbes.
Nec procul ingenti diffundens cornua gyro
atque agilem arcendis Neptunus ferre tridentem
cernebatur aquis pelagoque natabat in alto,
Tritonumque greges Nympharumque agmina circum
errabant procul aequoreum venerantia regem.
Hinc quoque jussus equus percusso emergere saxo
litoream pedibus rapidis pulsabat harenam.

Proximus imberbi specie crinitus Apollo :
hic puer, hic juvenis, nec longo tempora tractu
albus erat : sacer ante pedes rapidusque fremensque
stabat equus, quatiensque solum mandebat habenas.
At juxta monstrum ignotum immensumque trifauci
assidet ore sibi placidum blandumque tuenti.
Dextra canem, sed laeva lupum fert atra rapacem,
parte leo media est, simul haec serpente reflexo
junguntur capita et fugientia tempora signant.
Necnon et citharae species angusta canorae
icta videbatur sonitum perducere ad aures ;
et pharetra atque arcus volucresque in terga sagittae,
Cirrhaeoque ingens Python resupinus in antro.
Hic etiam Grais Italisque optanda poetis
dulcis odoriferae lauri viridantis in auro
umbra novem placido refovebat tegmine Musas.
Illas carminibus varioque manentia cantu
sidera mulcentes alterna voce putares.
Frater it hunc juxta junior ; frons ipsa fatetur
argutum, virgamque gerit serpentibus atris
intextam, caput insigni exornante galero,
circumdantque pedes nitidis talaria plumis.
Gallus adest vigil et curvo cadit Argus ab ense.
Ad laevam nova sponsa sedens facieque superbit
egregia et rarae letatur imagine dotis.
Haec prope Gorgonidum stat fabula nota sororum,
anguicomumque caput fraterna Perseus harpe
obtruncans fisus speculo et cervice reflexa,
marmoreusque senex atque ortum sanguine monstrum
alatus sonipes et Musis fons sacer almis.
Necnon funerei post haec Mavortis imago
curribus insistens aderat furibunda cruentis :
hinc lupus, hinc raucae stridentes tristia Dirae ;
cassis erat fulgens capiti manibusque flagellum.
Hinc ignominiam compertaque furta dolosae
conjugis aspiciens Vulcanus abire parabat,
Sed pede tentus erat claudo ; quem turba deorum
vidit et obliquum riserunt astra maritum.
Cornua tollentem caelo facieque rubentem
pectora sideribus distinctum Pana videres :
Hispida crura rigent, pedibus terit antra caprinis
et pastorali baculum fert more recurvum ;
texta sibi ex calamis sonat ingens fistula septem.
Parte alia sua sceptra gerens regina dearum
cara Jovis soror et conjunx augusta sedebat ;
huic sublime caput velatum est nube decora,
discolor aspectu quam circum amplectitur Iris,
pavonesque pedum dominae vestigia lambunt.
Proxima terrificae species armata Minerva
virginis, ut perhibent, dextrae cui longior hasta
et cristam galea alta movens : hanc Gorgonis ora
cristallinus habens clipeus tegit ; inque tenebris
prospectante dea volitat nocturna volucris,
Cecropiusque nova frondescit campus oliva.
Haec cerebro prognata Jovis Venerisque pudendum
illudit genus et primordia foeda sororis.
Nuda Venus pelagoque natans, ubi prima refertur
turpis origo deae, concham lasciva gerebat

purpureis ornata rosis, volucresque columbas
semper habens, nudisque tribus comitata puellis,
quarum prima quidem nobis aversa, sed ambae
ad nos conversos oculos vultusque tenebant
innexe alternis praecandida bracchia nodis.
Nec puer alatus nec acutis plena sagittis
post tergum pharetra deerat nec mortifer arcus.
Ille unam ex multis jaciens in Apolline fixam
liquerat : hic superi rumpebant astra fragore ;
trux puer in gremium care genitricis abibat.
Inde choris Dryadum nemus omne Diana replebat ;
Oreades Faunique leves Satyrique frequentes
plaudebant in cantu, multumque Dianae
dilectus viridi stertebat caespite pastor.
Fonte, miser, nitido pulcherrima membra lavantem
viderat Actaeon : rapido mox ipse repente
dente canum laceratus erat. Sibi cerva cadebat
sacra. Deae in Scythica non sic placabilis ara.
Ultima sed mater Cybele, cui gratior Ida
nulla fuit tellus, magno grandaeva sedebat
corpore consistens, clavi sceptroque verenda :
vestis honos variae, frigiisque ex turribus altam
gestabat capiti sobolis fecunda coronam.
Namque omnes peperisse deos ipsumque Tonantem
hanc veteres memorant. Liceat sed vera fateri,
haec eadem saevos utero variante Gigantes
protulit, infandas mundo per saecula pestes.
Curribus haec agitur domita cervice leonum.
At procul inferni moderator turbidus orbis
sulphureo insistens solio tenebrosa regebat
Tartara ; quem juxta conjunx inamoena sedebat
rapta olim, ut fama est, Siculae sub vallibus Aetnae.
Hic dolor, hic gemitus animarum admissa luentum,
et claustris distincta novem pallentia regna
cernuntur, Stygiique nigrae stant gurgitis undae.
Tristior has Acheron fluctu perlabitur atro
concretam limo cogens fluitare paludem ;
Cocytusque gemens lacrimoso flumine Avernum
circuit hinc oriens et ripis antra pererrat
umbrarumque choros ; necnon Phlegethontis adusta
gurges aqua tacitique lacus oblivia late
funduntur, tristique animas qui transvehat amni
puppe senex fusca residet remoque gubernat.
Haec rex cuncta videt Stygius cum conjuge torva
per tenebras longe aspiciens et lurida pascit
lumina suppliciis variis, saevosque ministros
imperio exagitat ; cui mors cui tristia quaeque
et Furiae et torto famulantur stamine Parcae,
sub pedibusque triceps jacet atrae janitor urbis.
Haec variis insculpta modis atque ordine miro
a superum regnis centrum perducta sub imum
Laelius aspiciens, puro nil vilius auro
agnoscit pedibusque premit quae rara putantur.
Inde procul magnae transcursis finibus aulae
pervenit ad regem. Solio tunc ille superbo
surgit et amplexum cupide petit hospitis. Inde
considunt. Placido mox Laelius incipit ore :
" Optime rex, tanto quem sors dignatur amico,

quantum non alium rediens sol litore ab Indo,
dum petit Hesperium despectans cuncta cubile,
aut videt aut vidit, mens aut, nisi caeca, videbit,
suscipe ; ne vanas abeant mea verba per auras.
Maximus in magno Scipio notissimus orbe
te salvere jubet. Si quid sanctumque piumque
est usquam, si pura fides, si cura decoris
durat apud gentes, populo sunt largiter uni
omnia ; sed populi summam vir possidet unus.
Roma caput rerum : Scipio dux summus in illa est.
Haud equidem conficta cano. Nunc ille tuam, rex,
poscit amicitiam. Vidisti qualia Poenis
pectora sint, quam fluxa fides. Mihi crede, secundos
bellorum eventus si, quos deus ille deorum
avertat, fortuna daret, tibi pessima regni est
conditio et multis obnoxia vita periclis.
Et modo terror eos, non spiritus ullus amoris
continet. At nulla Romanis certior ars est
quam servare fidem ; nil illa est carius : amplae
divitiae nobis dulces numerantur amici.
Testis adest parvo distans Hispania tractu,
testis et Ausonia est ; at tu nunc, Africa, nostram
experiare fidem et populi promissa togati.
Ipse tibi nostra nihil opportunius usquam
cernis amicitia. Procul absumus, unde timeri
taedia rara queant. Si poscimur, ampla paratis
classibus exiguo transmittimus aequora vento :
nostra, ubi tempus erit, medio radiantia campo
improvisa tuis occurrent hostibus arma.
Praeterea, nisi saeva viam, quam sternimus, ultro
obstruit ac medios fortuna intercipit actus,
fixa manet Populo sententia tollere turbas
regum atque indignis sceptrum extorquere tyrannis,
omnia ut ad paucos redeant ; nam rege sub uno
optimus est patriae status et male vivitur inter
regnantum sine lege greges. Tunc Africa tandem
omnis ad unius redeat moderamina regis.
Cetera praetereo : nam quis te dignior alter
litus Atlanteum Rubrasque interjacet undas ?
Munera quin etiam ne despice fortis amici.
Is tibi namque Apulis rapidum sub finibus ortum
mittit equum bellis habilem, qui cursibus Austros
aequat et infesto venientia tela Tonante.
Jungit equo phaleras niveoque monilia collo
aurea Samnitico quondam praerepta tyranno.
Addit et arma viro rigidis fortissima venis
quas aperit vario praefertilis Ilva metallo.
Aspice nigrantem galeam gladiumque nitentem ;
aspice quam tutum tegit ingens lamina pectus,
ut faciles ocreae, variis ut purpura bullis
intertexta micat ferrumque obnubit opacum,
ferreus ut fulvo stimulus splendescat in auro,
ut procul hasta ferit, clipeusque ut vulnera curvo
excutit objectu chalybum. Romana deinceps
in bellum fer signa, precor. Felicibus ista
sumpseris auspiciis magni Scipionis amicus.
Hoc petit ille volens, hoc te tua Roma precatur.
Junge fidem foedusque feri. Sit faustus utrisque

iste dies gemina semper celebrandus in ora
Europae Libyaeque bonus. " Sic ille locutus
conticuit, vocemque simul vultumque remisit.
Tum rex blandus ait : " Vestrum, Romane, libenter
propositum amplector, nec amici munera tanti
despicio vestramque fidem. Sed jungere foedus
in partemque novi subito transire pericli
sponte mea vereor, nisi primum cernere coram
magnanimum facis ipse ducem. Mihi summa voluntas
victricem tetigisse manum, quae foederis obses
fida sit et pignus venturae in recula pacis.
Scimus quanta quidem virtus, quam clara per orbem
fama viri : nullus Romano illustrior usquam
vivit in imperio, nullusque potentior alter
flectere voce animos et pectora fronte movere.
Tangimur et meritis et nomine tangimur ipso ;
optamusque ducis congressum : dextera dextrae
haereat atque oculis oculi, permixtaque verbis
verba sonent faciatque fidem praesentia famae.
Nam nequae usque adeo sunt corda ferocia nobis,
pectore sub nostro nec mens tam barbara vivit,
ut non pulchra oculos moveant, spectataque virtus
illiciat capiatque animos. Me maxima regni
cura tenet dubii, finesque excedere avitos
circumfusa vetat regio fecunda tyrannis.
Ivissem visurus eum, nec gloria facti
parva foret, tantum quaesisse per aequor amicum.
Ille igitur quem degeneris non lenta morantur
frena metus, quem ferre mali patientior aetas
aspera quaeque monet, si nostri est cura - per undas
tuta via est - sociam, si quid mihi credis, ad aulam
colloquium petat et sermone fruatur amico.
Interea tamen ad nostras accedere mensas
umbra monet crescens et pars extrema diei. "
Dixit, et exurgens solio dextramque benigne
apprendens, stratis sublimem ex more locavit
purpureis. Notum mox ampla per atria signum
dat tuba. Conveniunt famuli, turmeque frequentes
discurrunt. Non una dapes : non pocula simplex
cura fuit variare viris. Pars aurea gestant
vasa manu, pars cristallo splendentia puro ;
ast alii effossos gemma crateres in ampla
implebant spumante mero, quod miserat olim
ipsa parens Meroe Phoebo succensa propinquo.
Ardescit splendore domus fremituque redundat.
Talis apud mensas - nisi testem spernis Homerum -
cena fit Alcinoi : sedet illic blandus Ulixes,
Laelius hic hospes mellito affabilis ore.
Vixdum finis erat dapibus, cum comptus in ostro
astitit ante oculos juvenis patrioque canoram
increpuit de more lyram. Dulcedine mira
obstupuere omnes. Sonitum mox verba sequuntur :
Maximus Alcides, postquam fera monstra per orbem
perdomuit fecitque viam sibi vivus ad astra,
evacuans saltus Nemeos Lernamque paludem
terribilesque diu umbrosi colles Erymanthi,
faucibus Haemoniae scissis clarisque duabus
urbibus eversis stratisque bimembribus altis

et caeso Geryone ferox dignatus ad istas
ferre gradum terras et nostra pericula tandem
discutiens, patriis Antaeum extinxit in arvis.
Libertas hinc nostra venit : deterrima pestis
Herculea compressa manu tuta omnia late
liquit et insolitis patuerunt rura colonis.
Omnibus exactis, pacati conscius orbis
ipse sibi, limenque petens interritus Orci,
cominus horribilemque ausus spectare Megaeram,
haud procul a nostris memorandum finibus alte
erexit geminas pelago turbante Columnas,
utque pererrati foret illic terminus orbis
edixit ; fueratque diu, sed nuper ab Arcto
vesanus veniens juvenis convellere metam
est ausus, nomenque ideo mutare nequivit
Herculis auctoris, Libyae cui rura tenenti
longaevus nimioque Atlas sub pondere fessus
deposuit caelum ac stellas ; sic ipse quievit.
Nec sibi longa quies, nam mox dulcedine captus
heu miser ! Atque oculos ausus vidisse Medusae
vertitur in scopulos. Nunc stat quem cernimus ipsi
magnus et ingenti tellurem contegit umbra
immensoque jacet spatio porrectus et astra
vertice tangit adhuc. Illum nix hospita semper
et nimbi atque aurae quatiunt et fulmina et imbres.
Non tamen ipse diu post casum mansit inultus ;
ultor ab Arcadia nam Palladis arte tremendi
colla tulit monstri. Libycas cruor ille nefanda
infecit sanie tabi stillantis harenas ;
sic nocuit mundo vivens moriensque Medusa.
Post regina Tyro fugiens his finibus ampla
moenia construxit magnam Carthaginis urbem.
Ex re nomen ei est. Mox aspernata propinqui
conjugium regis, cum publica vota suorum
urgerent, veteris non immemor illa mariti,
morte pudiciciam redimit. Sic urbis origo
oppetiit regina ferox. Injuria quanta
huic fiat, si forte aliquis - quod credere non est -
ingenio confisus erit, qui carmine sacrum
nomen ad illicitos ludens traducat amores !
His igitur fundata modis urbs tempore crevit
exiguo ; at rebus semper conjuncta secundis
invidia excivit validas in proelia gentes.
Tunc acres vixere viri, quos inter amore
insignes patriae fratres Carthago Philenes
nunc colit extinctos numerumque auxisse deorum
extimat ac gemini veneratur numinis aram.
Hi patriae vitam cupidi si forte negassent,
plura Cyrenaeo cecidissent milia campo.
Ultima nunc bellis agitur ferventibus aetas,
nec mare quod saevit medio, nec juncta Charybdi
Scylla rapax Italis Poenos a finibus arcet.
Hannibal eterno dignus cognomine montes
perfregit Latios atque invia rupit aceto
saxa prius stravitque viam legionibus aptam
hic ubi silvestres soleant titubare capellae.
Concursum est totiens : jam sanguine rura madescunt,
jamque rubent fontes, Italis jamque altior arvis

exerit herba caput, subito demissus ab astris
cum juvenis memorandus adest patriaeque ruinas
fert humero. Videt hunc claris Hispania factis,
Africa jamque audit. Sic nunc incerta duorum
stat fortuna ducum, sic jam sub pondere nutat.
Finis erit quem fata dabunt ; sed magna parantur. "
Huc ubi perduxit carmen, citharista repente
subticuit digitoque liram percussit inanem.
Plausus ad haec sequitur procerum populique faventis.
Rexque iterum : " Libycos audisti ex ordine casus,
hospes, " ait " nostraeque vides primordia gentis.
Gratia si dictis est debita, vestra retexe
principia vestrosque duces. " Hic leniter ille
subridens " Quam congeriem, rex optime, rerum
exigis ! An breviter nostros audire triumphos
forte putas ? Brevior narrantibus exeat annus ;
tu petis anguste conferri in tempora noctis,
cujus magna retro pars est. Tum lingua volentem
deserit : impediunt curae somnusque laborque.
Non vacat haec inter tempus sermone tenere.
Quis facile Italiam per saecula longa frementem
Tuscorumque acies et tot Samnitica bella
ac totiens verso fugientes agmine Gallos
explicet ? Aut nostros et in hac tellure labores
et pelagi in medio, quo fors contraxerat ambas
protinus infesto coeuntes remige classes ?
Aut quas infelix passa est Hispania clades,
plena cadaveribus nec habentia flumina cursum,
assidueque novis fumantia caedibus arva ?
Quae nostri fecere duces. Annalibus altis
tantarum capitur vix pars millesima rerum ;
quos, si forte juvat, Tarpeia mittet ab arce
Scipio transcriptos. Ibi nam custodia templi
publica nostrorum servat monimenta laborum.
Illic multa leges, quae, sint licet ampla, putato
esse minora tamen vero. Nec teste citato
est opus : acta patent. Scriptorum copia nunquam
Romano fuit in populo, quos Graius abunde
orbis habet. Nostris facere est quam scribere multo
dulcius atque aliis laudanda relinquere facta
quam laudare alios. Quin angustissima libris
si quibus interdum videas quae gessimus, illos
externae scripsere manus. At Graeca Latinis
addita res nequeunt tantas aequare loquendo
ingenia : hoc vestro maneat sub pectore certum.
Nunc quantum nocturna patet sermonibus hora,
principia expediam. Teucrorum a sanguine longae
gentis origo venit, victrix quem Graecia bello
dicitur ad patrios muros sparsisse bilustri :
et fortasse aliquis jam tanti criminis ultor
natus in Italia est. Sed nunc ad coepta revertor.
Naufragio ex tanto vixque ex tot milibus unus
integer enavit sine crimine. Namque ubi Trojae
Matris adhuc Phrygio fumabat litore bustum
jamque cinis facilem incipiens glomerare favillam,
inclitus et claris multum spectatus in armis
dux Anchisiades, cui non via prona salutis
viribus aut propriis aut urbibus esset amicis,

destituit patriam lacrimans caramque cubilis
consortem, et passus terra casusque tremendos
erroresque vagos et mille pericula ponti,
impiger Ausonias tandem tamen attigit oras :
isque, ubi belligerum Latii sensere coloni
trojugenam, externoque viro Lavinia pactos
reddidit amplexus, sacro pia flumine membra
deseruit moriens. Puer hunc excepit Iulus
succedens illumque alii. Sic omnia regum
tempora fluxerunt, Longam qui moenibus Album
sub sceptris habuere suis, ad Tybridis undam
donec magnanimus posuit nova moenia pastor,
ultor avi, vindex scelerum, quem nostra parentem
dixit et aethereas defunctum traxit ad arces
posteritas, raptoque tulit sua thura Quirino.
Fundamenta aedis urbisque exordia nostrae.
Quos tibi nunc sermone duces, quae nomina fando
exsequar ? Innumeram video concrescere turbam,
praecipue ex quo libertas tulit ampla virorum
semina nobilium et tranquilla pavit in urbe
ingentes animas. Stellatae sidera noctis
et pelagi fluctus et harenas litoris ante
enumerem, quam cuncta quibus mea Roma superbit
nomina clara ducum : Curios fortesque Camillos
et Paulos bello claros Fabiosque trecentos,
quos simul una dies patriae subduxit egenti,
torquatosque truces, Lepidos durosque Catones,
Fabricios modico contentos, inclita cursu
nomina, quaeque dedit caelo demissa volucris,
Marcellosque animi illustres Gracchosque feroces
et Regulos fidei plenos, quae nomina belli
fama tulit pridem vestras, ni fallor, ad aures,
et qui magna procul transcendunt omnia, summos
Scipiadas, quos alma domus Cornelia caelo
extulit atque hominum superis aequavit alumnos,
unde ducum dux ille genus trahit. Est mihi magnus
enumerare labor vel nomina sola domorum :
quod si gesta velim percurrere digna relatu,
quantus erit ? Non usque adeo mihi ferrea lingua est,
nec tibi sint aures. At ne fortasse putetur
exemplo caruisse fides quam vestra Philaenis
fratribus altisono cecinerunt carmina cantu,
pauca sed e pleno longe repetentur acervo.
Namque olim, aut vento terram impellente latenti
aut causa quacumque alia, praerupta vorago
Romano patefacta foro conterruit Urbem.
Stabant attoniti pleno circum agmine Patres :
undique sollicitum praegrandia volvere saxa
vulgus anhelabat ; pars convectare canistris
tellurem magnasque trabes. Nil molibus ullis
cum fieret, simul ira deum manifesta moveret,
consilio superum visum est compescere pestem.
Dum pavidi responsa petunt, consultus aruspex
"O praeclara novis gens " inquit " territa monstris,
hoc specus explendum est non qua ratione putatis.
Quid juvat aggestu lapidum et telluris inani
flectere velle deos ? Non si Tarpeius in imas
sexque alii latebras descendant ordine colles,

ac super incumbat gravis Appenninus et Aetna,
finis erit. Sunt quae vobis pretiosa dehiscens
fossa petit : paucis plenus concurret hiatus ".
His dictis riguere animi, pallorque per omnes
maestus erat : multi gemmas aurumque ferebant
argentumque alii, namque haec meliora putantur
inter inexperta et verorum ignara bonorum
corda hominum, quos caeca ligat terrena cupido
nigraque corporei quos carceris occupat umbra.
Unus ibi ante alios juvenum fortissimus alte
exclamat : " Quae tanta animis ignavia, caeci ?
Vilia pro caris, pro magnis parva tulistis.
Nil opus est auro, foedis quod terra cavernis
evomit, aut lectis inter deserta lapillis.
Unum ego vos moneo : nobis virtute vel armis
nil melius tribuisse deos : haec summa profecto,
haec vere Romana bona, et si summa reposcunt,
arma virumque dabo ! " Dicens haec lumina caelo
erexit, templumque Jovis quod praesidet arci
suspiciens tendensque manus sursum atque deorsum
atque omnes superosque deos manesque precatus,
ad quos tendebat, validum calcaribus ultro
urget equum baratroque volens infertur aperto.
Arma ruente viro lucem sonitumque dedere :
fit strepitus, coeunt ripae et junguntur in unum,
vixque tremens profugae pars ultima transilit hastae ;
ceu quondam immodico caelum splendore dehiscit
et velut aetherei reserat penetralia mundi ;
Inde repentino transcurrens turbine flamma
visa fugit caeloque redit sua forma sereno.
Hic tibi vir quantus, patriae quem reddere vitam
ac vivum terrae - liceat dixisse - cadaver
cernis et armatum Stygios invisere lucos ?
Curtius in nostris fuit hic annalibus ingens.
Vis referam Decius ? Quorum prior ille Latinas
forte videns acies nostrorum terga prementes
constitit ingemuitque ferox, mox magna precatus
numina devotum medios se misit in hostes
victato capite et succinctus more Gabino.
Ipse quidem ingestis prosternitur undique telis :
nobis morte sua victoria contigit illo
certa die, secumque simul mens caeca tremorque
omnis in adversos subito transisse Latinos
creditur. Ipse habitu horrifico spectabilis, atro
celsus equo specieque humana augustior ire
visus erat. Decus id, parvo post tempore, natus,
jure velut proprio, pugnantibus agmine Gallis,
rettulit et nomen patris et pia facta secutus.
Quin etiam clara compellans voce parentem
traditur ad mortem indubiam per tela per enses
Gallorumque aciem et cuneos penetrasse frementes :
secum ad victores fuga transiit et metus et mors.
Tertius inde nepos, ut avitis atque paternis
accedat titulus, quamvis obscurius illi
fama dedit nomen, simili pietate Lucanas
stravit opes simili descendens tramite ad umbras.
Sic tribus in campis totidem patet ordine cives
et palmam peperisse nece et periisse volentes.

Genus eximium, dignum cui saecula cuncta
rite canant laudes, cui nulla oblivio sensim
obrepat serosque vetet celebrare nepotes !
Cetera nota tibi ac passim vulgata relinquo.
Vidisti - neque enim tam longa intervenit aetas,
ut nequeas vidisse - quibus fortissimus olim
Regulus expositus servarit sacra fidemque
suppliciis, quanto patriae inflammatus amore.
Heu, bene nate senex, nunquam tua fama peribit !
Tu moreris : tamen illa tibi mansura superstes
vivit et aeternum vivet.
Quamquam quid genera atque viros memorare necesse est ?
Cum saepe ad certam legiones currere mortem
viderimus, monstrante duce et sua fata docente,
"Ire licet " clamante, " viri, vetitumque redire est ",
nec flexisse animos ideo nec lumina quemquam,
praerapidoque leves ivisse in vulnera saltu !
Romanum est - si nescis - opus contemnere casus
fortuitos, placide venienti occurrere morti,
spernere quae gentes aliae mirantur et optant,
contra autem amplecti quae formidanda videntur,
vincere supplicia et tristes calcare dolores,
sponte mori potius quam turpem degere vitam. "
Dixerat. Ille autem : " Medio interrumpis et aufers
plurima. Quid regum vestrorum extrema relinquis ? "
Hospes ad haec : " Fateor : fortunas quaerere regum
regius est sermo. Tamen haec brevitatis amore
transieram. Tibi sed suspecta silentia forsan ;
neve putes, ideo quod nostris regibus ausi
insultare sumus, nos forte cupidine praedae
incensos nomen sceleri quaesisse decorum,
accipe vera rei fuerit quae causa novandae.
Libertas optata diu nunquamve petita
mulcebat splendore animos, sed sceptra premebant
efferaque imperiis urgebat regia duris
impendens capiti miserorum et torpor inertes
ceperat immemoresque sui. Pudet omnia referre
pertulimus quae maesta domi ; pudet omnia rursus
dicere quae campis alienis castra sequentes
rege sub infando jugulis sumus impia passi
mancipia et segnes animae ! Nihil ille putabat
per scelus horrendum titulos quaesisse superbi,
criminibus ni saeva novis cognomina mundo
ingereret patriaeque suae. Proh qualia monstra !
Milia tot pariter, quibus omnia pervia virtus
fecerat, ac turbam cui tot fortuna parabat
et cui tot reges populosque subegerat, unum
indignum timuisse caput, nutusque profanos
observasse sacris pro legibus ! Haud ita regem
mellifice venerantur apes, fucosque nocentes
atque leves culices arcere a finibus ausae,
quae dominum mellis trepidum saepe atque paventem
excudunt prohibentque aditu, pecudesque canesque
confodiunt ; omnes regem tamen intus inermem
exiguumque timent ; illum admirantur et illum
militiaeque domique colunt, et regia semper
atria circumstant humerisque in nubila tollunt.
Nos quoque sic nostri timor et reverentia regis

continuit, donec permixta superbia luxu
crevit, et intumuit turpis lascivia fastu.
Tunc mora nulla viris : visum est succidere ferro
hanc saniem medicasque manus in vulnera ferre ;
quaeque sub imperiis stetit inconcussa superbis
victa sub obscaeno cecidit patientia facto.
Regius infami juvenis praecordia flamma
succensus vulnusque trahens male sanus acerbum
nocte sub ambigua matronae limina castae
intrat et exceptus placide nil tale verentem
vi superat. Voti compos, spoliumque pudoris
feminei referens et opacae gaudia noctis,
laetus abit furti tacite sibi conscius alti.
Illa dolens vitamque simul corpusque perosa
et membris irata suis : " Vas vile pudende,
femina, luxurie vives " dicebat " et in te
semper adulterii vestigia foeda manebunt ?
Et poteris spectare torum, quo rapta fuerunt
omnia cara tibi : vir, virtus, fama pudorque ?
Quin obis ? Et tristem potius, precor, effuge lucem,
o anima infelix, inimicaque claustra refringe ".
Haec ubi clam questa est, subito patremque virumque
evocat, id siquidem cupiens, ut testibus illis
corporis invisum liceat deponere pondus.
Roma patrem, longinqua virum tunc castra tenebant ;
cui, dum forte redit, properans, jam patre reperto,
nuntius occurrit dominaeque ex ordine voces
narrat : atrox facinus, sed quod non noverit ipse,
evenisse domi, raptimque opus esse reductis
patre viroque simul. Stupet ad mandata maritus
conjugis, incertusque animi sub corde volutat
quid sibi fata velint aut quid fortuna minetur.
Procedit diversa putans et limine primo
invenit attonitum socerum, pariterque vocati
ibant et paribus curis alterna loquentes.
Illicet adventu mulier commota suorum
profudit lacrimas. Mox percunctante marito
anne satis sospes : " Minime : namque omnia " dixit
perdidimus pretiosa simul : nil dulce remansit ;
prereptaque pudicicia periisse fatendum est
heu misere ! Stant foeda tuo, vir optime, lecto
signa aliena viri. Fuit hoc violabile corpus :
integer est animus. Mors testis. Porgite dextras
et praestate fidem, scelus hoc ne turpis ad umbras
auferat impunis tumuloque insultet adulter ".
Exhinc indignans transactae crimina noctis
explicat atque adhibet verbis lamenta precesque.
Consolante viro maestam facinusque negante
esse ubi mens pura est : " Ego me si crimine " dixit
"absolvo, sceleris poenas evadere nolim :
exemploque mei non vivet adultera Romae ".
Dixit, et eductum latebris, qui veste latebat,
pectore sub niveo gladium moribunda recondit,
et ruit in capulum, velut hoc relevare pudorem
vulnere prostratum valeat. Sic nota parentem
fama refert volucrem proprio de sanguine natos,
exstinctos dirae morsu serpentis, ad auras
tollere et illorum exsequiis expendere vitam.

Horrida conclamant cernentes vulnera, luctus
exoritur : tremuitque domus sub murmure tanto.
Brutus ibi solus lacrimas et inania verba
castigat, vir egregius, celata sub alto
pectore cui virtus ingens erat. Ille cruentum
fervidus educens spumanti vulnere ferrum
attollensque manu : " Superos summumque Tonantem
juro " ait " huncque olim castum intactumque cruorem,
quod flammis ferroque genus sobolemque domumque
regis et invisum caput ac diadema superbum
nunc, posthac, semper, mihi dum lux ista manebit,
persequar aeternis odiis, nec regna tenere
ille potest, poterit manus haec dum tela movere ".
His dictis, alios eadem jurare coegit
mirantes unde haec audacia tanta repente
pectore sub Bruti vel quo de fonte veniret.
Convocat hinc cives : triste et miserabile visu
protrahit in lucem populo spectante cadaver,
ostenditque aliis gladium pulmone tepenti
undantem, pectusque aliis vulnusque profundum.
Admonet hunc natae, jubet hunc meminisse sororum ;
conjugis ast alium, pignus cui norat amoris
esse domi praedulce aliquod. Quo regia pergant
acta docet fastuque ferox adjuta libido.
Ira dabat stimulos et rebus consona verba.
Purpura caede madens pallorque et frigida membra
et patris atque viri spectacula cruda movebant,
omniaque exsuperans fortis violentia Bruti.
Illum igitur, quacumque gradum deflexerat, ingens
turba sequebatur ferro succincta virorum
femineique greges crudelia fata gementes,
quis fuerat celebri spectata Lucretia fama.
Quid moror ? Historia est multarum maxima rerum.
Hoc duce pelluntur reges, exulque senexque
Tarquinius moritur, nati omnes diraque conjunx
supplicium scelerum non una morte tulerunt :
corruit in cineres regis domus alta Superbi.
Regnorum hic finis. Post haec meliora sequuntur
tempora, et hinc nostri libertas incipit aevi.
Annua perpetuos straverunt jura tyrannos
saevaque legitimae fregerunt sceptra secures
atque unum pepulere duo. Geminata modestos
ferre magistratus subito nova signa videres.
Primus init fasces auctor qui primus adeptae
libertatis erat. Studio servavit eodem
denique quo peperit natos, quod regia mallent
imperia, afflictos virgis truncosque securi
compulit ad mortem pro libertate serena,
tam simul infelix genitor, quam civis honestus,
tam rigidus consul, quam libertatis amator.
Idem post, regis sobolem fera bella novantem
regnaque vel tali repetentem jure paterna
obvius excepit, juvenemque superba minantem
vulnere letali transfixum compulit Orco.
Sed dum torva fremens odioque accensus in illum
irruit, alternae non vidit cuspidis ictum,
ac pariter cecidere truces ; at fortior illum
immoriens Brutus resupinum corpore texit,

victor ad extremum. Sic immemor ille pericli
eruit infandam inde animam et : "Ferus ultor ad umbras,
perfide, Tartareas ferro sequar " inquit " acuto ".
Talia promeritum sexus simul omnis et aetas
flevit, et insontis strepuerunt rostra querelis.
Praecipue tamen ut proprium luxere parentem
ultoremque pudicitiae gratissima matrum
agmina, nec longum cessarunt maesta per annum.
Nunc manet his Bruti semper memorabile nomen. "

## LIBER QUARTUS

A4 Finierat. Tunc rex iterum placidissimus inquit :
"Magna quidem memoras. Video quantum infima summis
et quam sint Romana aliis distantia fata.
Sentio praeterea quid femina vestra pudica
morte velit : ne cuncta sibi jam candida Dido
arroget ; aut juvenis terrae demersus inique :
omnia ne nostris contingant clara sepultis
fratribus, occurrunt genitor natusque neposque.
Unum de cunctis miracula maxima transit,
in turbam potuisse animos descendere tantos.
Plus hominem suprema dies quam cetera terret.
Hunc virtus praedura solet minuisse pavorem.
Vix tamen haec paucis usquam, vix contigit uni :
publica sed vobis eadem est statque unica vestris
mens exercitibus : pro libertate tuenda
recta fronte mori. Sed quod super omnia longe
nosse velim, egregii vitam et ducis acta moderni,
praeteris. Hoc igitur, precor, hoc edissere nobis.
Qui mores, quae forma viri, quis pectoris hospes
est animus, quae majestas juvenilibus annis
insita. Namque unum nobis huc crebrior illum
fama tulit. Tum praecipue quae gessit Hibero
nuper in orbe, refer ; tibi si notissima posco,
omnia si praesens spectasti, et cernere soli
cor licet arcanum, quoniam nil protinus ardens
celat amicitia. At tu nunc, festina, parumper,
nox, subsiste, precor, Laelius dum pulchra relatu
eloquitur : teneat niveos Aurora jugales
et contenta senis gremio jacuisse mariti
det spatium verbis ; solitoque jocosior ille
uxorem roseam complexibus illiget arctis."
Vidit ut intentos animis atque auribus omnis
Laelius et nullo concussa silentia motu,
incipit : "Heu quanto tam grandia jussa sequenti
est opus eloquio ! Mihi non facundia torrens
largaque Cecropiae contingit gratia linguae.
Maximus insano juveni vigilavit Homerus :
rusticus egregio vigilat nunc Ennius. Atqui
dignus ut hic Graio, sic dignior ille Latino
vate fuit. Praecone autem fortassis Achilles
indiget ; hic nullo. Surgit sua fama sine ullis
artibus, inque dies crescunt praeconia. Nec me
fallit amor. Veniet tempus cum libera caelo

fama virum tollat. Stimulus nunc forsitan ille
invidiae... Sed grata magis jam coepta sequamur.
Nulli unquam natura viro tam larga fuisse
creditur. Aethereo corpus splendore nitescit ;
imperiosa ducem frons arguit, aspera blandum,
unde simul vibrant unum duo lumina fulmen,
quod nullus sufferre queat. Coma densa per armos
protinus ad solem ventis ferientibus aurum
explicat impexum, quoniam cassisque sudorque
et labor assiduus prohibent animusque modesto
contentus cultumque timens transisse virilem.
Celsior est aliis, quotiensque in proelia ventum est,
spem procul ipse suis sublimi vertice praestat,
terret et hostiles acies : spem quippe metumque
ille habet aspectus.
Pectoris est qualem petit ingens spiritus aulam.
Cetera conveniunt : humeros et bracchia cernas
militis altifici. Licet inter milia mille
videris hunc, verum valeas agnoscere regem.
Ille decor nimius multos trepidare coegit,
immemoresque sui tenuit dulcedine quadam
insolita tacitosque diu, conceptaque verba
distulit, aut alio deflexit calle loquentes.
Pulchrior est etenim mortali corpore longe
atque hominem supra : vix illum fulgidus aequat
Juppiter aut puro pharetratus in aethere Phoebus.
Ista tamen, quia parva viris spernendaque formae
commoda sunt, sileo. Vultus fortasse serenos
ipse suos cernes, verisque minora locutum
me dices ; datur haec illi nam gloria soli,
nominibus quia cum noceat praesentia magnis,
hunc superattollit. Cujus si quaeritur aetas,
nondum ter denum, fateor, pervenit ad annum.
Omnis in ascensu est crescens cum tempore virtus :
jam sua nunc senibus gravitas imitanda severis
atque juventuti levitas optanda serenae est.
Hostibus asperius nihil est, nil dulcius inter
carorum affectus. Sive illum tela moventem,
sive armis positis vultus spectabis apertos,
quid potius deceat, dubites. Hunc prospera nunquam
extulit, aut stravit jaculis fortuna molestis :
unus utrobique est, eadem mens permanet et frons
rebus in ambiguis, rebus tranquilla secundis.
Spernit opes ; populi ventosos spernit honores :
gloria vera placet. Dulces conquirit amicos :
hae sibi divitiae sunt, quas solet ille perennes
qua peperit servare fide. Modo fama per omnem
volvitur Hesperiam, juvenem venisse supernis
dis similem, cui vis hominum non ulla resistat,
quique etiam placida quoscumque subegerit armis
vincat amicitia.
Vincitur ut caelo species telluris opacae,
florida sic omnes tellus premit Itala terras ;
utque nitet caeli pars purior una sereni,
Italia sic Roma potens praefulget in ipsa ;
solque velut radiis fulgentia sidera vincit,
Scipio sic omnes superat. Stat vera fateri :
non illo nostro juvenem de more creatum

dixeris ; atque ideo non omnia falsa locuta est
fama virum super astra levans. Nam protinus alto
persuasum est multis hominem hunc descendere caelo.
Nam quid cuncta sequar ? Piget illa minuta referre ;
fabula sed vulgo nota est : pulcherrimus anguis
obversatus enim matris persaepe cubili
dicitur et visus multis movisse pavorem ;
suspicioque frequens hinc jam vulgata per urbes
divini partus oritur. Cui scilicet ipse
editus in lucem puer, et mox maximus idem
vir similis nulli divinus rebus apertam
atque animo facit ecce (idem, spectataque rursus
religio et vitam mos observatus in omnem.
Namque ubi sol oritur, solus solet ille remotis
omnibus in cellam lovis, augustissima nobis
Tarpeio quae colle sedet, cui sacra paventes
rite sacerdotes celebrant, securus ad aram
intrare et limen foribus firmare reductis.
Hic quasi multa loquens tempus terit, inde repente
digreditur, summosque animos portendere vultum
caelestemque oculos videas praeferre vigorem.
Ipse spei plenus, si quid tune instat agendum,
aggreditur certosque solet promittere magnis
successus bellis, veluti sibi numine ab ipso
promissos. Multis equidem sic pectora campis
accendit tribuitque animos et posse coegit
quod modo non poterant. Vires mens firma ministrat,
nilque valent artus, nisi quod dedit illa valere.
Saepe ego conspexi, cum jam ferienda retrorsum
terga darent acies et signifer ipse trementi
vix regeret vexilla manu, rapuisse magistro
pila ducem pavido et medias penetrasse phalanges
clamantem " Deus ecce praeit ! Sequimurne vocantem
an fugimus ? Sequar ipse libens : victoria soli
continget promissa mihi et si fata vetabunt,
unus ego emoriar. Vos, en fuga libera post me
vivite degeneres, aliter moritura juventus !
His dictis rediisse acies, et pectora morti
opposuisse viros sic vincere saepe coactos :
tantus amor ducis est, tantus pudor urget in arma !
Namque ubi perpendunt quanta est constantia menti,
quanta fides superum, quam praesens Jupiter illi,
consistunt, jussuque dei remeare putant se.
Haec propter, cum multa adeo tractaverit olim
ardua, nulla acie victum, dum primus in illa
dux foret, assiduis meminerunt saecula bellis.
Casibus hic quoque nunc quantum sibi forte futuris
praesumat, seu quos jubeat sperare laborum
eventus audire velis. Carthaginis altae
moenia jam quatit ille animo ; jam scandere in arcem
cogitat ac pelago titubantem involvere Byrsam.
Ut leo, seu nitidam in pratis errare juvencam
praecipiti stimulante fame, seu turbidus hostem
forte lacessitus jaculis prospectat, et iras
supprimit, ac rabiem frenat dum proximior fit ;
interea tamen absentem, nondum ungue cruento,
dilacerat mordetque oculis ac tecta pererrat
viscera et invisum minuit per frusta cadaver :

sic noster - mihi crede - leo nunc aestuat, ullas
nec metuit vires, tantum ne praeda vel hostis
aufugiant timet, atque abitus circumspicit omnis.
Omnia posse putat quae vult ; quaecumque putavit
posse, potest ; igitur peragit quaecumque cupivit.
Optima sola tamen cupit et pulcherrima factu.
Quid jam de pietate loquar ? Quae cognita patri est
et patriae variis olim spectata periclis.
Sed duo nunc tetigisse sat est. Furor hostis acerbi
flenda Cisalpinis jam Gallica rura colonis
vastabat. Romam jam flamma Pado tenus ardens
et Capitolinas fumus perflabat ad arces.
Maximus huc nostri genitor ducis ipse malignis
mittitur auspiciis. Quid multa ? Patentibus arvis
congredimur. Superat Poenus. Periisset in illa
dux acie, nisi natus agens tunc circiter annum
octavum decimumque, ferox tellure jacentem
transfixumque latus media de morte parentem
eripuisset - opus pueri ! - Mediosque per hostes
fecisset mucrone viam. Jam fata premebant
ultima, jamque minax ferro facibusque potentem
Hannibal Italiam confecerat. Atra cruentus
Cannarum et nostro famosus sanguine vicus
vulnera visceribus Latiis inflixerat : omnem
spem metus expulerat. Veluti cum fluctibus alnus
succubuit, caelique graves pelagique tumultes
non tulit, horrescunt nautae, pallorque per ora
funditur, ac trepidos angit nova cura magistros,
qua rapiat sibi quisque fugam, seu litora saltu,
seu scopuli saxosa petens juga parva propinqui,
seu residens trunco disjecti turbine clavi
enatet et rabido committat bracchia ponto :
talis erat nostrae status urbis, talia nobis
consilia. Heu quantas tracturus mole ruinas
imperii nutabat apex ! Quid vera fateri
distulerim ? Coeunt juvenes, princepsque Metellus
conventus : fuga sola placet, terrasque nocentes
linquere et Hesperiam victori tradere Poeno.
Quod simul innotuit, ceciderunt corda tremorque
omnibus incessit gelidus. Tum forte tribunus
militiae, vixdum teneras lanugine prima
exornante genas, erat imperterritus unus
Scipio : dumque omnis dubiis succurrere rebus
consulerent inopes animi, tempusque paventes
extraherent sermone vago, "Quin pergimus ? " inquit
egregius juvenis," Non tempora longa supersunt
consilii, sed facto opus est. Quin stringimus enses ?
Ite, precor, mecum : proceres, quibus ultima cura est
Urbis et imperii, vestigia nostra sequantur !
Publica res nondum periit ! "Talique jacentes
erexit sermone animos. Consurgimus omnis
consequimurque ducem. Non illo celsior ibat
Amphitryoniades, cum dura rebellibus olim
proelia Semiferis et grandia tela moveret.
Imus, et ut trepidi ventum est ad tecta Metelli,
irruit ipse prior. Stabat tremefacta pudendis
consiliis intenta manus : vix maesta sonabant
murmura ; vix pavidum feriebat lingua palatum ;

qualis inest captis color aut fiducia frontis,
quos fera terribili addixit sententia morti :
illi equidem miseri trepidant, letique propinqui
casibus attoniti, spectant tamen omnia circum,
qua fugiant, quando illa patet via sola salutis.
Tunc superinsultans, stricto mucrone tremendus,
juro " ait " aetherei per numina summa Tonantis,
me nunquam, dum vita mihi, dum membra manebunt,
deserturum urbis Romae Italiaeque labores,
passurumve alios. Et nunc tibi, Quinte Metelle,
jurandum est pariter, vel, si fortasse recusas,
hac moriere manu, vobisque novissima venit
omnibus ista dies ! " Gladiumque erexit, et omnis
contremuere metu. Facti dux ipse Metellus
diriguit. Res nempe ferox inopinaque mentes
presserat ; haud aliter quam si lovis ira trisulcum
torsisset male firma domus in culmina telum.
Nec secus irati civis tremefecit imago,
Hanibalis quam si victricia signa viderent
impendere sibi mortemque et vincla minari.
Ergo in verba simul quo jusserat ordine jurant,
dux prior, inde alii. Mira sic ille pudendam
compressit virtute fugam. Vix sextus ab illo
annus agebatur, quo patrem a morte reduxit :
occiderant almae duo maxima lumina Romae,
Scipiadumque ingens uno prope tempore nomen
obruerat Fortuna nocens ; Hispanaque tellus
in dubiis amissa fidem mutarat avitam.
Millibus ex tantis procerum consurgere nullus,
nullus ad immensae reparandum vulnera cladis
audebat praestare manus. Tum filius, ultor
et patris et patrui, nomen dedit ; isque Pyrenem
transgressus majore animo quam viribus, omnem
rettulit Hesperiam populi sub jura Quiritum :
qua duo lata patens inter distantia multum
aequora porrigitur, vel qua longissima tractu
ad nostrum est hinc versa mare Herculeasque Columnas,
illinc perpetuis nomen debentia flammis
ad juga consurgens, Gallorum prospicit arva.
Quicquid in his habitat terris hominum vel opum vel,
hostibus ereptum fortuna judice nostrum est.
Ut tamen ex multis decerpam pauca decoris,
urbs sedet Hispano posuit quam litore Poenus
Hasdrubal, et magnae nomen Carthaginis illi
imposuit ; cujus partem validissima cingunt
moenia, parsque maris rapido defenditur aestu.
Huc omnes Poeni pompas, huc signa virosque
contulerant atque arma duces, quia sive per undas,
sive per explicitos instarent proelia campos,
oportuna foret belloque aptissima sedes,
antiquam laevo prospectans tramite matrem.
Proximus huc etiam populus confugerat omnis
tuta petens ; ceu cum primas incendia flammas
attollunt, piceusque volans replet aethera fumus,
diffugiunt quos dira fugat vicinia pestis
evacuantque domos secum pretiosa ferentes
et testudineam concurrunt undique ad arcem.
Huc famae signantis iter vestigia servans

Scipio contendit, neglectaque cetera linquens
hanc petit, huc acies ducit, Romanaque circum
castra locat, parvumque levi struit aggere vallum.
Mira loquar, sed vera tamen : non moenia crebris
turribus et valido circum firmata paratu,
militis aut ardor sua fata extrema videntis,
custodumque acies et propugnacula mille
ac turbanda procul ferientes castra balistae
scandentem muros perque omnia tela ruentem
sustinuere ducem. Brevior non contigit ullis
moenibus obsidio, siquidem primordia bello
una dies finemque dedit. Non tecta relinquunt
ocius imbelles Jovis instimulante columbae
armigero, aut pavidi venientem ad lustra leonem
diffugiunt lepores. Subito custodia portae
deseritur ; pauci validae se moenibus arcis
occultant, alii fugiunt, totamque per urbem
sternuntur. Vario complentur cuncta fragore,
pugnantumque simul strepitu gemituque cadentum :
qualis ab Aethiopum rapidis cum tollitur Austris
litore tempestas nostrum casura sub axem,
apparet metuenda procul, mox proxima nubes
decidit et mixtis descendunt flumina saxis ;
jamque tument amnes, jam qui modo segnis abibat,
quilibet alta fremens imitatur flumina torrens ;
turbati agricolae fugiunt, ingensque superne
terror agit miseros ; pereunt armenta furentis
fluminis objectu : quocumque trementia volvas
lumina, terrifici disjectis nubibus ignes
praestringunt, morsque ante pedes, nec flectere quoquam
possis iter, nec stare queas : hinc luctus et horror
lugubresque procul resonant per nubila voces.
Multa sub hoc tempus micuerunt indole clara
signa ducis manifesta novi, vir quantus in armis
et quantus post bella foret. Namque arma movente
milite ab adverso non Mars violentior urget
infesto temone Trachas, nec acerbior Hebro
spumantes immergit equos. Verum arce reclusa,
hostis ubi ad veniam projectis concidit armis,
ilicet exstinctus cecidit furor, iraque cessit
pulsa animo ferrumque manu. Sic atra serenat
nubila pacifico despectans Jupiter ore,
continuoque silent venti fugiuntque procellae,
sol nitet, emergunt fuscis sua noctibus astra,
et mundo sua forma redit. Jam victor ad arcem
tranquillus volvebat iter, Romanaque celsis
turribus affigi victricia signa jubebat.
Post haec sacra deis meritasque rependere grates
instituit. Stabat cinctus de more sacerdos
lataque devoti feriebat pectora tauri,
compellans ad sacra Jovem Phrygiosque Penates
Romuleamque animam cunctosque ex ordine divos
custodes Latii, quorum Capitolia curae
credita perpetue mundi caput esse merentur.
His actis, grates meritas et debita solvit
praemia militibus, virtus ut alatur honore
haud equidem ignarus. Fuerat mos ille vetustus
Romanis ducibus primo servatus ab aevo,

invalidas tutasque altis cum moenibus urbes
cingeret obsidio, cui primum scandere muros
seu virtus seu fata darent, proponere dictam
nomine muralem de re veniente coronam.
Hoc pretii praedulce genus, quia gloria mentes
erigit immemoresque omnis facit una pericli.
Id modo prospiciens, animos dux talibus ardens
impulerat stimulis. Sed enim fastigia junctis
apprendisse duos manibus vox publica, et ingens
ortus erat castris studio variante tumultus :
hunc illi, contra illum alii laudare faventes.
Sic, ubi vulnificis ferientem dentibus aprum
ejectum caveis et opacis sentibus acres
corripuere canes certatim omnesque per artus
explicuere solo, strepitus consurgit ab alto
spectantum juvenum : quis primum figere morsus
clunibus hirsutis ausus, quis prendere saltu
Hispida terga feri, quis primum haurire cruorem ;
pugna canum fit de meritis venantibus ; una
illi victores latratum in nubila tollunt.
Scipio turbatos cuneos atque arma frementes
agnoscens veritusque novi non parva duelli
semina, discordes raptim ad praetoria turmas
convocat et verbo surgentes comprimit iras.
"Quando " ait " amborum virtus tam clara virorum
eminet ut cunctis longe post terga relictis
officiat sibi sola quidem, vel debita neutri est
fama, vel ambobus ; quod dignius esse putamus ;
nam prior est quem nemo praeit ". Sic ore sereno
fatus, et amborum pariter viridante corona
tempora circumdat : simul impetus omnis et ira
concidit. Hunc finem tristes habuere querelae :
haud aliter quam cum validos in proelia tauros
excitat invidia et dilectae candor amicae :
cornua temptantur truncis, mugitibus aurae
complentur ; tunc ampla favent armenta duobus
et partem fecere boves ; si providus iras
praesensit rabidosque agnovit pastor amores,
tempestivus adest et blando murmure motus
temperat ac pugiles victrici fronde coronat
et sua placatos procul inde per arva remittit.
Interea lacrimosa cohors, miserabilis, ingens,
feminea audita est gemitu sua moenia complens.
Hic pius infremuit juvenis gessitque patronum
ipse pudicitiae. Tute committitur arci
omnis ab incursu metuens sibi sexus et aetas,
indigus auxilii populus. Custodia sanctis
est mandata viris, vetitumque sub ora venire
femineum vulgus, quod lumina blanda pudori
insultant, castique oculis flos carpitur oris.
Id modo permetuens longe captiva relegat
agmina. Proh, Superi, mortali in pectore quanta
majestas ! Spectate senem juvenilibus annis.
Nam simul aetatis stimulos formaeque virentis
blanditias perferre grave est.

## LIBER QUINTUS

A5 Moenia magnanimus victor trepidantia Cirtae
ingreditur, patriosque lares et avita tuetur
tecta libens, generis cara incunabula primi.
Milite confestim ad portas custode relicto,
ipse altam cupidus raptim tendebat ad arcem :
sic stimulante fame lupus amplum nactus ovile,
intima dum penetrat, socium praedae atque laboris
linquit in ingressu, quo tutior abdita fidis
corpora deducat latebris mergenda palato.
Ventum erat ad miseri felicia tecta tyranni,
quae merso malefida viro regina tenebat.
Haec subitis turbata malis in limine visa est
obvia victori, si quam fortuna pararet,
temptatura viam duraeque levamina sortis.
Undique sidereum gemmis auroque nitebant
atria : non illo fuerat rex ditior alter
dum tenuit fortuna fidem : nunc - fidite laetis ! -
Pauperior non alter erat : tamen omnia longe
regia praeradians vincebat lumina conjunx.
Ille nec aethereis unquam superandus ab astris
nec Phoebea foret veritus certamina vultus
judice sub justo. Stabat candore nivali
frons alto miranda Jovi, multumque sorori
zelotypae metuenda magis quam pellicis ulla
forma viro dilecta vago. Fulgentior auro
quolibet, et solis radiis factura pudorem,
cesaries spargenda levi pendebat ab aura
colla super, recto quae sensim lactea tractu
surgebant, humerosque agiles effusa tegebat
tunc, olim substricta auro certamine blando
et placidis implexa modis : sic candida dulcis
cum croceis jungebat honos, mixtoque colori
aurea condensi cessissent vascula lactis,
nixque jugis radio solis conspecta sereni.
Lumina quid referam praeclare subdita fronti
invidiam motura deis ? Divina quod illis
vis inerat radiansque decor, qui pectora posset
flectere quo vellet, mentesque auferre tuendo,
inque Medusaeum praecordia vertere marmor,
Africa nec monstris caruisset terra secundis.
Haec, planctu confusa novo, modo dulce nitebant,
dulcius ac solito ; ceu cum duo lumina juxta
scintillant pariter madido rorantia caelo,
imber ubi nocturnus abit. Geminata superne
leniter aerii species inflectitur arcus ;
candida purpureis imitantur floribus almae
lilia mixta genae ; roseis tectumque labellis
splendet ebur serie mira ; tum pectus apertum
lene tumens blandoque trahens suspiria pulsu,
cum quibus instabilem potuit pepulisse precando
unde nequit revocare virum ; tum bracchia quali
Jupiter arctari cupiat per saecula nexu.
Hinc leves longaeque manus, teretesque sequaci
ordine sunt digiti, propriumque ebur exprimit ungues.
Tum laterum convexa decent, et quicquid ad imos

membrorum jacet usque pedes : illosque moveri
mortali de more neges ; sic terra modeste
tangitur, ut tenerae pereant vestigia plantae,
aetherium ceu servet iter. Sic nube corusca
obsita magnanimum Venus est affata Tonantem,
naufragio nati seu morte impulsa nepotis
dulcis opem sperare patris, dum Troja per undas,
dum subterraneo tremuit pia Roma tumultu.
Hac igitur forma nulli cessura dearum
occurrit juveni mulier : nec cultus in illa
segnior effigie ; variis nam purpura gemmis
intertexta tegit reginae pectora maestae ;
et dolor ipse decet miseras, nec compta placere
tempore felici poterat magis. Ilicet ergo
vulnus inardescens totis errare medullis
ceperat : aestivo glacies ceu lenta sub aestu,
cera vel ardenti facilis vicina camino,
liquitur ille tuens, captiva captus ab hoste,
victaque victorem potuit domuisse superbum.
Quid non frangit amor ? Quis fulminis impetus illi
aequandus ? Jamque illa gradu provecta trementi
est affusa ducis genibus, quem vultus et arma
ediderant comitumque favor plaususque sequentum ;
arreptaque manu summissa voce locuta est :
"Si mihi victricem fas est, attingere dextram
captivae viduaeque tuam, per numina supplex
cunta, precor, miserere mei ; nec magna rogaris.
Utere jure tuo : captivam mortis acerbae,
carceris aut duri licet hanc absumere sorte.
Est etenim mihi vita mori : lux ne ista placeret,
fata coegerunt statui nimis invida nostro.
Tu quodcumque libet jubeas, genus elige dignae
mortis ; et hoc unum prohibe, ne viva maligno
servitio calcanda ferar. Sunt forte sorores,
rex, tibi, quas referat fortunae injuria nostrae
ante oculos, invicte, tuos : namque et sua nobis
fata fuisse vides ; succedunt tristia laetis.
Nec tamen ullorum fuerim praesaga malorum
ipsa tibi ! Fausto in finem, precor, utere regno,
et natis transmitte tuis, nullusque nepotum
armet in insidias animum : mihi turbida regni
ultima, fortunae nimiumque adversa priori
contigerint ; damnisque meis lassata quiescat,
mitior hinc aliis. Mihi sed Romana fuisse
scis odia, armorumque solent me dicere causam
materiamque unam belli ; nec falsa queruntur.
Eripe ludibrio miseram, manibusque superbis
eripe ; deque meae specie, rex inclite, mortis
tu cui fata favent, cui mens se devovet ultro,
videris." Haec inter lacrimis perfundere terram
ceperat, auratis suffigens oscura plantis.
Immemor armorum juvenis, cui Martius ardor
exciderat, gravidumque novae dulcedine formae
pectus, et insolitis ardebant viscera flammis,
suspirans : "Regina, precor, jam luctibus" inquit
"pone modum, trepidumque animo seclude pavorem.
Parva petis, sed magna feres : nam forma genusque
majestasque animi dignam, cui plura petitis

largiar, insinuant. Igitur regina manebis
et nostri memoranda tori per saecula consors,
ni renuis nostroque nocet vetus ardor amori."
Hic humilem complexus heram, multumque diuque
ora salutiferis referentem tristia plantis
sublevat illacrimans. Unde ista potentia caeco
tanta deo ? Tantumne levem valuisse pharetram,
ut jecur invicti per tot fera proelia regis
vulnere trajectum tenui prosterneret intra
femineum imperium ? Vultu tandem illa remisso
incipit : "O magnum regum decus, auxiliumque,
dum meruit, patriae, nunc terror maximus idem,
si mea post tantos unquam consurgere lapsus
fata queant, spesque una foret post damna superstes,
quid mihi vel longa potuit contingere vita
laetius, ad talem quam si translata maritum
dicerer et fausta subito crevisse ruina ?
Sed quia fata premunt et nostris debitus annis
finis adest mihi, care, animos attollere fractos
desine : non tali pelago convulsa ratis nat.
Fortunae mihi nota fides : sat magna petenti
dona dabis mortem, quae libertate retenta
perferat hanc animam directo tramite ad umbras.
Romanum fugisse jugum mihi meta precandi est.
Cetera non ausim. Tibi sed pro talibus ille
rex superum meritis grates exolvat opimas,
qui mea magnifico transcendere vota favore
nisus eras." Vultum haec dicens avertit, et illum
compulit in lacrimas iterum : "Sed parce dolori,
parce" ait "et nostris oculis, quos fletibus istis
ante diem perimis : spes amplas fessa labansque
mens refugit, terraeque jacens nil suspicit altum.
Tu tamen intendas animum melioribus : ibit
forte alio fortuna nocens, aditumque relinquet
ad magnos placata gradus : si dura (quod horret
mens omen) fors illa vetat, tunc ultima sero
mors dabitur promissa tibi ; per sidera testor
alta poli, regumque fidem manesque deosque."
Talia vix tremula confusus voce peregit,
hinc sese vacuam tulit irrequietus ad arcem.
Quis queat instabiles animorum noscere fluctus,
quos ferus urget amor ? Non illos turbidus aequet
Euripus, non Scylla fremens, non dire Charybdis.
Nempe procellosi male sanum pectus amantis
nulla quies habitat : non lux tranquilla dierum,
non sua signa poli, non noctis imago serenae,
non ratibus clavum, non tutus litore portus :
horrida perpetuo facies turbata tumultu,
undique naufragium scopuli clademque minantes,
impiaque adversis discordant aequora ventis,
heu, miseri quibus huc subito volvuntur et illuc
incerti pelagi atque viae. Jam tecta supremi
intima rex thalami secretaque limine solus
intrarat, tacitusque sedens, dum singula secum
pertractat, quanam ille fidem persolvat, amanti
difficilem videt esse viam ; nam territat illum
captivae status et miserae fortuna maritae,
Romani mens alta ducis, tum nota pudici

pectoris integritas : illam metuebat amori
adversam reperire suo. Sed dura cathenis
evinctum validis lex imperiosa trahebat
cernentem sua fata procul. Ceu victus in alto
navita, qui maestus scopulos Syrtesque vadosas
ante oculos videt ipse suos, nec flectere proram
arte valens solita, ventoque impulsus et undis,
omnia desperans, fortunae mandat inique
et clavum et remos et vela fluentia nimbo,
ac lacrimans in puppe sedet : sic naufraga regis
mens haeret compulsa quidem, nec flectere quoquam
orsa valens, gemitu sic longam concitus horam
exegit vario : nunc ora nitentia coram
cernere reginae, nunc dulces fingere voces
ipse sibi, pedibus nunc oscula pressa manusque
leniter apprensas, lacrimosaque pectora flentis,
dulcibus undantesque oculos arsisse favillis.
At medias inter curas, ubi forte verendi
frons aderat dilecta ducis, tunc improba tergum
Spes dabat, et domitis stabant praecordia flammis.
Sicut ubi ardenti gelidus successit aeno
humor aquae, furor ille silet, paulumque tepenti
stat similis : mox aucta suas incendia vires
exercent magis atque magis : sic ille tumultus
pectoris oppressus, stimulis agitantibus idem
fortior admotas rationis spernit habenas.
Ergo ubi vulnifico reverentia cessit amori,
praesentisque decus formae et damnosa voluptas
absenti praelata duci est, capit ilicet aeger
consilium, factique viam deprendit inanem ;
et secum : "Quid lentus agis ? Speciosa Hymenaeus
conjugia et laetos blandus modo Jupiter annos
obtulit ecce tibi. Satis est meminisse laborum.
Exul, inops, profugus, regno spoliatus avito,
per mare, per terras, per mille pericula supplex
regibus ac populis multos errasse per annos
gaudeo : jam tempus fuerit fortasse quietis.
Nam si cuncta brevis numerentur tristia vitae,
nullus erit toto te nunc annosior orbe.
En regnum fortuna tuum, quo dulcius illo
perfruerere diu, longo post tempore reddit
depositumque refert. Hostem - qua nulla voluptas
major - habes vinctum, vitaeque et mortis in ipsum
arbiter es, qui cara tibi tulit omnia solus.
Omnia nunc redeunt. Simul hic possessor iniquus
regna gemens revomit, nitidisque simillima Nymphis
femina praeterea primo spoliata marito -
bellorum sic jura volunt - occurrit et ardet,
si liceat, sed multa timet sibi conscia sortis.
Nempe verecunde petit id, quod voce negare
visa fuit metuens. Heu qualis forma gementi !
Quamque decent lacrimae ! Quid majestatis in illa est !
Et quid laeta foret ? Qualis regina superbo
alta sedens solio, si gloria supplicis ingens,
captivae si tantus honos ? Proh dulcis amantum
vita, nec alternis concordia rupta querelis !
Una quidem facies semper, mens una duobus,
una quies unusque labor ! Non pulchrius orbe

par fuerit toto, nisi nos oblivia formae
forte tenent nostrae ; genus et sors, omnia tandem
conveniunt, casusque graves mollire ferendo
convenit atque aetas spatio distincta, quod ipsis
conjugibus gratum esse potest ; quodque ipse notavi,
convenit ille etiam, qui summis infima solus
aequat, amor. Propera, nec enim tibi forte timendum est
ne tua condemnet lecti juvenilia furta
Scipio : quin juvenem juvenis miserabitur ultro,
viderit et lacrimas, veniam praestabit amori.
Conjugium fortasse sacrum, non furta vocabit,
reginamque tori sociam venerabitur olim
mitior ille ducum." Simul haec effatus, amicos
convocat atque animos aperit. Jubet omnia raptim
expediant. Modico convivia culta paratu.
Atria non reboant, non Tuscus ad aethera clangor,
non comitum fremitus, non arcta palatia turmis,
non crebre micuere faces ; fax ussit amantes
una duos, lacrimis mox exstinguenda duorum.
Pulcher Atlanteo properans sub gurgite mergi
Hesperus optatam noctem referebat, iniquos
assuetus praeferre dies et amantibus hostis,
invida luciferi dum nomina suscipit astri.
Mentibus heu quantum nostris caligine caeca
illudit ventura dies ! Fortasse, beatus
conjugio, sobolemque sibi turbamque nepotum
rex animo complexus erat, genialia laetus
tempora noctis agens. Illi non blanda mariti
oscula mille novi, non regni jura vetusti
per cunctos promissa deos, de corde pavorem
funditus expulerant : semper tremefacta sepulcrum
ante oculos mortemque tulit. Nec somnia letum
portendere aliquid. Visa est sibi nempe, secundo
rapta viro, sentire minas et jurgia primi,
et tremuit, sopita licet. Tum vertice montis
aerii traducta sedens, subjecta videbat
regna sibi populosque vagos ; monstrumque repente
concurrisse alium majori corpore montem ;
tum vero tremuisse jugum, cui nixa sedebat ;
impulsuque gravi gelidos de vertice fontes
descendisse duos ; montemque abiisse minorem
inde retro ; est illam rapido per inania lapsu
Tartara nigra quidem et Stygiam tetigisse paludem.
Publica finitimas subito perlabitur urbes
fama gradu, victae victorem sponte secutum
conjugia, et bello indomitum servire puellae.
Vulgus adulterii signabat nomine factum,
quod neque legitimis arsissent ignibus inter
armorum strepitus, alioque superstite rege
conjuge ; captivae victori forma quod uno
visa die et dilecta prius, subitoque recepta
foedere, non inter patrios ex more penates,
judicio ne quid, sed cuncta libidine sanas
praecipitante moras fierent. Sic omnia vulgus
in pejus torquere loquax. Jam crebrior aures
fama ducis vario fervens pulsaverat aestu.
Indoluit, cari facinus miseratus amici
dux pius est, rerumque modum secum ipse revolvens,

intempestivos est detestatus amores,
multaque in absentem tacitus convicia finxit.
Sic pater offensus longinquo verbera nato
instruit et calamis irarum fulmina fundit,
mox vultu placido et dulci sermone movendus.
Altera post primam sequitur populosque secundo
Fama leves rumore replet, succedere castris
Syphacem vinctumque trahi. Ruit obvius omnis
visendique avidus positis exercitus armis ;
illum admirari, atque illum celebrare frequentes,
hunc illum bello ingentem regnisque superbum,
Romanum Poenumque ducem qui viderit uno
tempore sub laribus pacem veniamque precantes,
cuique duos mundi dominos non multa puderet
blandiri ; cui certatim solemnia tamquam
vota deo fierent ; cui regum maximus olim
Massinissa metu toto concesserit orbe ;
quem facie turbata nova fortuna rotasset
ad terram impulsu subito. Vix credula tantae
corda rei, ingentis lapsu stupefacta ruinae.
Si quis Athon videat, verso seu vertice Olympum
Aegaeis cecidisse vadis, Erycisque tuumque,
Appennine, caput Tyrrhena sub aequora mersum,
non credat satis ipse sibi, sed somnia vanis
plena putet monstris. Rex inter talia magno
concursu invehitur ducis ad tentoria nostri.
Heu quantis, fortuna, dolis mortalia pessum
omnia das ! Quantum sublimibus invida regnis !
Haec magnis promissa lues, haec meta bonorum,
stare parum et ruere. Hic regum rex ille supremus
mancipium venale jacet, trahiturque catenis
obrutus et multo circumvallatus ab hoste.
Contigit Hesperii mentem ducis illa vetusti
hospitii neglecta fides, blandusque serenae
vultus amicitiae conspectus, junctaque dextrae
dextera, consessusque tori, ac presentibus illa
majestas collata malis ; tandemque profatur :
"Quid tibi, vane Syphax, voluisti ? Unde ista furenti
mens adeo transversa tibi ? Pactine repulsa
auxilii contentus eras, nisi bella moveres ? "
Dixerat : ille animo vultuque immotus eodem
perstitit, ac sero vix maesta silentia fregit :
"Nil mihi, magnanime et nostri dux maxime saecli,
nil gravius fortuna tulit, quam frigida campis
linquere quod mediis moriens haec membra nequivi
armorumque inter stragem cumulosque virorum.
Poenarum mihi summa quidem, quod vivere bello
contigit exhausto : nec enim nunc ora viderem
haec mihi perfidiae meritam renovantia litem.
Ast ego, si miseris liceat credenda profari
et queat in gravibus vero locus esse catenis,
vera loquar, primumque omnes meruisse fatebor
sponte cruces, qui sacra volens, qui jura fidemque
fasque piumque simul conventaque foedera tanti
hospitis, exigua turpique libidine victus,
calcavi testesque deos memoresque malorum.
Sed quae causa gravis, quae tristis origo ruinae,
forsitan ignoras : ego nunc verissima paucis

expediam, non illa meum relevantia crimen,
quin potius justi stimulos auctura pudoris.
Femina cum primum laribus fuit advena nostris,
auspiciis invecta malis atque alite torva,
tunc perii, periitque fides, et gloria nobis
excidit ac sceptrum manibus diademaque fronti ;
prodita tunc tacitis arsit mea regia flammis.
Funereas tulit illa faces, potuitque dolosis
flectere blanditiis animum, lacrimisque malignis
hospitis illa sacri, famae, superumque deorum
reddidit immemoremque mei. Quid te moror ? Illa,
illa suis manibus misero tulit arma marito,
induit illa latus, capiti tum cassida caro,
tum gladium dextrae, clipeum dedit illa sinistrae,
increpuitque tubam, trepidumque atque arma paventem
impulit ambiguum in Martem, tecumque coegit
adversis certare deis. Quando agmina campis
contulimus stetimusque acie, fuit exitus ille
erroris, mihi crede, mei : placuisse profanos
amplexus fuerant hujus primordia casus
conjugioque haesisse fero. Proh ! Regia, vere
regia et innumeris nuptura sine ordine conjunx
regibus ! Hostiles utinam translata penates
igne cremes simili ! Nisi me praesagia fallunt,
et facies : mecum hoc veniet solamen ad umbras."
Dixit, et obticuit graviter turbatus et imo
lumina maesta solo referens. Jam senserat iras
Scipio, namque oculos et stigmata clara, loquentis
in vultu, nimium offensi spectarat amoris.
Hinc magis atque magis cari scelus horret amici :
justus amor regi ; quoniam si digna querelae,
Massinissa, tibi fuerat, non justa rapinae
causa : furor stimulisque repens impulsa libido
turpibus. Haec inter, regem sub claustra recondunt.
Fama recens Latiis sensim crebescere castris
cepit, adesse duces victriciaque agmina regis
ac Laelii. Placido venientes suscipit ore
Scipio ; laudatos populo spectante decorat
muneribus largis ; abstractum deinde seorsum
sede locat regem juxta, procul atque remotis
testibus alloquitur : "Nisi me tua maxime longe,
Massinissa, diu virtus sperata fefellit,
non tibi causa tuum fuerat, nisi magna, videndi
Scipiadam, fideique meae tua credere fata
ut malles, veteres sic aspernatus amicos.
Africa nam vastis Latio disjungitur undis,
nec minus alternis distamus moribus ; ergo
grande aliquid tibi causa viae fuit aequore tanto,
tot bellorum inter fremitum mundique tumultus.
Certe ego, si proprio mihi non sordescit in ore
gloria, non alia tantum virtute superbum
me fateor, quam quod blande mihi firma tenere
frena voluptatis videor. Non hostis in armis
obvius, aut flammis resonans undantibus Aetna,
Euboicae non sic fundo gravis aestus ab imo
in cumulos surgentis aquae metuendus, ut ista est
turba voluptatum quae circumfusa tenet nos :
praecipue tamen haec nitidae suspecta juventae

pestis, et aetati praetendit retia nostrae.
Aequor enim silet interdum, gravis Aetna quiescit ;
hostis ad incursum validis seu moenibus uti,
seu vallo fossaque licet ; damnosa voluptas
nocte dieque furit ; numquam tu moenibus illam
arcebis : mediis veniet penetralibus inter
excubias vigilesque canes, ferrata potentum
limina transiliet. Quod si te sola movere
haec potuit tantum virtus, ut linquere velles
templa, larem, regnum, nobisque ut sponte subesse
nomine deposito domini patereris, et illam
per maria et terras in me sequerere latentem ;
Tu mihi vir quantus digito monstrabere, si te
inter tam multas haec exornaverit una !
Gloria magna quidem magnum vicisse Syphacem ;
Sed major, mihi crede, graves domuisse tumultus
pectoris atque animo frenum posuisse frementi.
Praeconem me virtutum memoremque tuarum
semper habes ; tua facta libens et dicta renarro.
Cetera tu tacito tecum sub pectore volve ;
nec tibi verba prius, quam mens sibi nota ruborem
excitet. Egregia hoc bello tua sensimus arma :
attamen auspiciis nostris - ignosce - patenti
concursum est acie ; nostro quoque nomine parta est
Romano haec praesens copulo victoria ; nec te
praeterit et regem et regnum suaque omnia nobis
deberi. Romam patere hic inimicaque conjunx
regis eat, precibus quae bellum pavit, et hostis
filia tam magni est et pars non parva triumphi.
Vince animum teque ipse doma, nec multa decora
commaculare velis unius crimine facti.
Aspice quam fructus nihilo minor ira dolorque,
quantus ab obscaeno tibi sit metuendus amore ;
quid deceat regem, quam per se foede libido."
Dixerat : ast illi jamdudum ex ore ruebant
certatim lacrimae, veluti cum candida tectis
nix haesit, veniat tepidis si flatibus Auster,
liquitur, et grandes subito per inania guttae
praecipitant. Tum pauca refert : "Mihi maxime cura est
imperio parere tuo : fortuna salusque
in manibus tibi nostra sedet. Tu pectoris aestus
vincis, et affectus miseri moderaris amantis.
Nil frustra jussisse queas. Sed prospice famae ;
deprecor hoc unum ; liceat mihi conjuge dulci
servata caruisse fide." Singultibus istas
liquit inexpletas rauco sub murmure voces,
inque tabernaclum sese intulit, ora genasque
maestus, et infestis tundens sua pectora palmis.
Sic audita reum postquam sententia morti
addixit, graviterque tubae vox nuntia fati
intonuit, tremit ille pavens et buxeus ori
pallor inest ; jam mors oculis manifesta videtur,
et lictor praebere jubet jam colla securi ;
ac ventura quidem veluti praesentia cernit ;
jam jacet exanimis, jamque omnia tristia secum
versat et avulsum trunca cervice cadaver :
haud aliter placita juvenis cariturus amica
jam caret ; ac tacitis postquam irritata querelis

mens stimulos in verba dedit, "Proh tristia" dixit
"vitae fila meae tanto servata dolori
et Parcis huc tracta feris ! Moriamur honesti ;
sic cogunt mandata ducis, nisi vivere rapta
posse anima nos ille putat. Si tristia duri
corda geris silicis, pectusque adamante rigescit,
quid mihi Romana fore cum feritate putasti,
Scipio ? Quid meritum melius sic perdis amicum ?
Vita molesta tibi nostra est. Quot vulnera in isto
pectore pertulimus, nunc ut moreremur amando,
spiritus in lacrimas atque in suspiria maestus
difflueret ? Mors nulla viro minus apta : sed ultra
non datur." Haec dixit frendensque ad sidera luctum
sustulit horrendum, quem circumstantia longe
agmina senserunt, motaeque haesere cohortes.
Litus ad Hesperium properans urgebat anhelos
Phoebus equos. Forte ille memor quibus alma decore
virginis Haemoniae flagrasset pectora flammis ;
laureaque ante oculos stabat sua sacra, tremendo
prodigio praerepta sibi, tum vita relicti
dura nimis, luctusque gravis, simul oscura trunco
fixa diu tenero vitaque abeunte tepenti ;
atque ideo, similes regis miseratus amores,
intulit Oceano vultus lacrimosaque lavit
ora cadens, Noctique suas permisit habenas.
Scipio - nulla etenim dederit fortuna quietem,
ni mediocris eris ; nam tristior illa dolores,
laeta vehit curas - per noctem singula secum
ancipiti cum mente rotat : num territa pulset
moenia Poenorum et turres Carthaginis, an se
extremos fundat Libyae vastator in agros,
an requiem fessis paucorum forte dierum
praebeat equitibus peditumque det otia turmis.
Illa recursabat potior sub pectore cauti
cura ducis, quibus inde viis captiva per altum
agmina Poenorum Latio transmittat ovanti.
Praecipue in rege regisque in conjuge multum
angitur, et quantis velit hos custodibus ire,
cui tantum committat onus. Sic anxius haeret
mercator, cui vota viae cessere secundae
et lucri fortuna fuit ; nunc cogitat, aurum
ac gemmas qua puppe vehat pretiosaque rerum,
quique ratis custos placeat. Non carior usquam
ullus erat Laelio : nulli felicius altos
credere consuetus lassata mente labores.
Hunc igitur noctis medio vocat, admonet arma
navibus imponat, lectoque ut remige coetum
instruat, hac patriae petiturus litora classe.
At misero multum diversa fluebat amanti
nox ea cum lacrimis : quas sese vertat in artes,
quos vocet ille deos, precibus quibus atra relaxet
stamina Parcarum et dilectae tempus amicae.
Nunc venit in mentem cara cum conjuge raptim
Herculeas subita linquentem classe Columnas
fortunatorum famam tentare locorum ;
nunc recta penetrare via Carthaginis altae
moenia, et ad veteres humilem veniamque petentem
pergere cum gemitu et dulci cum conjuge amicos ;

nunc ferrum laqueosque sibi properataque mortis
instrumenta manu tristesque intexere nodos,
auxilioque necis tantos finire dolores.
Saepe manus gladium tetigit : pudor obstitit unus,
non metus incepto, viduae non anxia vitae
dulcedo : veritus famam maculare perenni
crimine, continuit capulumque animumque remisit.
Volvitur inde toro : quoniam sub pectore pernox
saevit amor lacerantque truces praecordia curae,
uritur ; invigilant maeror, metus, ira furorque.
Saepe etiam absentem lacrimans dum stringit amicam
saepe toro dedit amplexus et dulcia verba.
Postquam nulla valent violento frena dolori,
incipit, et longis solatur damna querelis :
"Cara mihi nimium, vita mihi dulcior omni,
Sophonisba, vale : non te, mea cura, videbo
leniter aethereos posthac componere vultus,
effusosque auro religantem ex more capillos ;
dulcia non caelum mulcentia verba deosque
oris odorati secretaque murmura carpam ;
solus ero, gelidoque insternam membra cubili.
Atque utinam socio componar, amica, sepulcro,
et simul hic vetitos illic concorditer annos
contingat duxisse mihi ! Sors optima busti,
si cinis amborum commixtis morte medullis
unus erit. Scipio nostros non scindet amores.
O utinam infernis etiam nunc una latebris
umbra simus, liceat pariter per claustra vagari
mirtea, nec nostros Scipio disjungat amores !
Ibimus una ambo flentes, et passibus isdem
ibimus, aeterno connexi foedere ; nec nos
ferreus aut nostros Scipio interrumpet amores.
Invidiosa deis Erebi populoque silentum
ac Cereris genero, cunctisque beatior umbris
umbra ferar : dulces nec Scipio franget amores.
Ille quidem astrigeros tractus caelumque tenebit
dux sacer, humanis in totum moribus impar,
nec volet infernas sedes aut pallida Ditis
regna sequi : haud cupidos iterum turbabit amantes.
O utinam Libycum nunquam transisset in orbem !
O utinam Latiis semper mansisset in oris !
Quid precor heu demens ? Si non venisset, amice
et decor et species faciesque simillima soli,
non mihi nota fores ; sine qua nec vita fuisset
grata quidem pariter. Quanta est discordia ! Vitam
abstulit ac tribuit. Scipio dulcissime, raptim
o utinam Romam victricia signa tulisses
captivo cum rege prior, reginaque retro
mansisset non visa tibi ! Quid surda precamur
numina ? Castrorum dominus victorque superbus
captivam petit ecce suam. Dabimusne ? Sed urget :
importuna precum species nocitura precari.
Sed rogat : at vultu tacito mihi multa minatur.
Sed rogat : at durum precibus latitare sub istis
imperium agnosco. Parebimus ? At prius horrens
Jupiter admoveat capiti sua fulmina nostro,
hoc tellus voret alta latus, pelagusque per amplum
impia falsiloqui spargantur viscera regis.

Ergo ego, Romano placitum quia, sancta revellam
foedera conjugii ? Licuit sine conjuge regem
vivere, et id satius fuerat, quia caelibe vita
Scipio noster erat : sponsae nunc pacta negare
non licet. Ast ingens et inexorabile turbat
imperium : quid agam ? Morieris, munere cari,
Sophonisba, viri morieris ; munera saevo
haec placuere Jovi : sic nec captiva traheris
litus ad Italiae nuribus subjecta Latinis,
nec nostros illusa dolos sic posse videris
aut fractam culpare fidem. Moriere. Quis ergo
finis amoris erit ? Mors effera. Parcite cuncti,
caelicolae : calcanda fides. Fugiamus in orbis
ultima, et ignotas Libyae penetremus harenas,
est ubi serpentum regio tutissima nobis,
tutior hac patria : nec enim venturus ad illam
est Scipio, nec pestiferi vis ulla veneni
tam pulchros laesura pedes. Mihi forsitan ipsa
ignoscent spectante fere. Dulcissima conjunx,
stat fugere et te impendenti subducere morti :
pauperiem laetus tecum exiliumque fugamque
maestaque cuncta feram. Sed nec sequerere vocantem,
femineos si novi animos, regina supremo
sueta sedere loco : et quanquam sequerere, parati
nil habeo, atque omnes Romana potentia passus
claudit, et extremo Scipio notissimus orbi est.
Somnia nunc, tacitae quondam mihi tempore noctis
visa, recognosco turbatae horrenda quietis
non satis intellecta prius. Tune illa fuisti
candida prostrato per vim subducta marito
cerva, sed imperio tandem pastoris iniqui
custodi praerepta novo ? Tunc nempe placebas,
vel sic visa, mihi. Sed quid conjuncta ferebat
mors tua ? Dii, visis omen removete malignum.
Permetuo, nam cuncta sibi constantia certo
ordine cernebam, nec me sopor ille fefellit.
Quid faciam ? Moriere igitur, moriere ; profecto
nil aliud superest, conjunx miseranda, tibique
auctor mortis ego. Sed quae mihi vita futura est ?
Scis, Venus, et caelo prospectans Jupiter alto
mortales actus nostrosque hoc orbe labores.
Quis mihi verba dabit placidas ducentia noctes,
aut gravis ingentes animi mulcentia curas ?
Quis dabit amplexus, quisve oscula dulcia junget ?
Te sine dulce nihil. Quid prodest regia largo
agmine servorum, Tyrio quid lectulus ostro
comptus, et innumeris instrata palatia gemmis ?
Quid diadema juvat ? Lati quid gloria regni ?
Uror, et assiduis torquentur pectora flammis.
Heu mihi ! Dulcis adhuc, dulcis post busta, sereni
quo fugiunt vultus ? Hinc jam, te, cara, supremum
viventem deflere juvat. Sophonisba, deorum
atque hominum decus eximium, quam nostra tulerunt
tempora siderei exemplum specimenque decoris,
quae faceres conspecta fidem, super astra quis ipsis
splendor inest superis, qualis quamque alma venustat
forma deas, adverte pias his fletibus aures.
Hei - misero fuerit quoniam meminisse jocundum -

lumina, sidereis mulcentibus aethra favillis,
alma sub exiguo claudentur condita busto ;
lumina magnorum mentes tactura deorum,
lumina durorum rabiem fractura virorum,
lumina quae mihi me abstulerant curasque minores !
Candida frons auro circumcrispante decora,
frontibus humanis augustior, abdita saxo
stabit in angusto. Risus qui ferrea figit
pectora, qui caelum, qui circumfusa serenat
nubila, Tartareum ruit irrediturus ad antrum.
Heu mihi ! Felices animae, quibus illa repente
lux oriens veteres veniet purgare tenebras !
Heu bene progeniti, quibus illa videre licebit,
quae mihi mors invisa rapit ! Pes lacteus atram,
divino celerante gradu, conscendere cymbam
jussus, transiliet Lethaei gurgitis aestum.
Fortunate Charon ! Utinam mihi flectere clavum
contingat, neutramque diu contingere ripam ;
Tuque mei interea serves moderamina regni !
Invidiose senex, quando haec tibi monstra videre
contigit, aut ullo posthac continget in aevo ?
Vidisti Aetnaeo raptam sub vertice nigri
uxorem transire tori, nec vultus Elissae
te latuit nostrae, facies nec Gorgonis horrens,
nec quae fatiferum laqueo pendente secuta est
Laodamia virum, nec te, pulcherrima Procris,
nec Teucrum pestis, Minoisque altera proles -
altera nam caelum tenuit stellante corona -.
Sed cui tantus honos, cui tantae gloria formae ?
Crude senex, mihi crede, parem non ulla videbunt
saecula, nec rerum laudatrix magna suarum
aetas prima tulit. Visa tangere juventa ;
ardebis, mihi crede, senex ; me forsitan illac
conjugis infaustae vestigia cara sequentem
tardius excipies. Veniam, nec tempore multo
hic mihi carcer erit. Proh ! Si prohibemur adire
corporeosque iterum jus est remeare sub artus,
occidimus. Tu parce, senex, atque arbiter aequus
igne pari flagrans juvenilibus annue flammis.
Cerbere, si potuit vates Rhodopeius iram
frangere voce lyrae, facies nunc conjugis ista
quid poterit conspecta tibi conspectaque regi
Tartareo ? Vereor, ne nostros captus amores
tentet, et annosae redeas, Proserpina, matri.
Somnia sunt quae fingis amans, et falleris amens.
Massinissa, diu felix, si rata fuissent
munera Fortunae modo ! Sed, maestissime regum,
pone modum lacrimis metamque impone querelis.
Dulce meum decus, atque animae pars altera nostrae,
o breve solamen, longus dolor, inclita conjunx,
ibis ad Elysias directo tramite valles,
et mihi morte tua gemitum lacrimasque relinques.
Sed sequar ; haec miseri superant solatia morbi."
Obticuit, subiitque sopor ; tum fessa parumper
membra quies sensim subrepens tarda fefellit :
multa sed in somnis questus, caelumque chaosque
fortunamque feram incusans hominesque deosque.
Ecce parum fausto finem positurus amori

Phoebus ab Oceano radians surgebat Eoo.
Concrepuere tubae ; surgit tremefactus, et iras
suscitat, ac quaestu se saepe revolvit eodem.
Postquam castra videt fremitu testantia motum,
et metuit mandata ducis, vimque affore credit,
si neget, horrendum dictu et miserabile sumit
consilium, quod tristis amor dabat : aurea fido
pocula dat servo, custodia dira veneni
credita cui fuerat. Rex haec undantia summo
ac superinfusa cernens spumantia morte :
"Vade" ait "et miserae mea tristia munera perfer
reginae, strictosque deos absolve fidemque.
Me promissorum memorem sciat illa : secundum
impleo. Sunt superi testes, erat altera longe
conditio mihi grata magis, tentataque frustra
est via, si qua foret, per quam regina maneret
conjugio contenta meo. Romanus ab alto
dux vetat : huic nostri, sic dii statuere, potestas
fortunaque jubente data est. Sibi consulat ergo
cogitet unde ruens quo sit prostrata ; quis illam
exitus excipiat viduatam nomine nostri ;
insuper et primi reverentia quanta mariti,
quanta patris virtus : titulisque et sanguine dignum
consilium paret ipsa sibi. Quod possumus unum,
instrumenta fugae libertatisque paramus."
Haec ait, atque oculos lacrimis avertit onustos.
Nuntius accelerans reginae ad limine pulsat
munera dira ferens. Pannis anus obsita et annis
prosilit, atque habitum conspectaque pocula narrat.
Substitit attonitae similis similisque paventi ;
nec remorata diu, positoque instincta pavore :
"Ingrediatur" ait. Stat terrae lumina fixus
et peragit commissa tremens ; intercipit illa :
"Suscipio mandata libens, nec dona recuso
regia, si majus nihil est, quod mittere dulcis
posset amans : certe melius moriebar, in ipso
funere ni demens nupsissem - numina testor
conscia - , non aliquid quoniam de conjuge caro
sit nisi dulce mihi ; sed sidera promptius alta,
terrenis ut eram vinclis exuta, petebam.
Hoc refer extremum, et mortis mihi testis adesto.
At vos, caelicolae, et qui maria ampla tenetis,
quique locum mundi medium Stygiasque tenebras,
quas adeo, licet ante diem, si justa precandi
materia est, praestate pias his quaestibus aures ;
audiat et caelum et pelagus tellusque profunda.
En morior ; mortisque magis me causa dolere,
quam mors ipsa facit. Quid enim commercia tangunt
nostra duces Latios ? En quanta superbia genti !
Non satis est hostem regnis spoliasse paternis :
libertate animos spoliant, et rite coactis
conjugiis sanctoque audent irrumpere amori
ac pactos laniare toros, victoria postquam
Romano stat certa duci, nec flectere quisquam
fata potest eterna Jovis : sint ultima vitae
tristia, et eximiis sua Roma ingrata tropaeis,
exul ut a patria deserto in rure senescat
solus et a fidis longe semotus amicis ;

nec videat sibi dulce aliquid, qui dulcia nobis
omnia praeripuit ; tum cari injuria fratris
exagitet, doleatque suos non aequa ferentes ;
filius extremos inglorius aggravet annos.
Indigno tandem atque inopi claudare sepulcro,
iratusque tibi et patriae moriare relictae,
Scipio, et infames saxis inscribe querelas.
Tu quoque finitimo semper quatiare tumultu,
si secum posthac, conjunx carissime, firmum
foedus habes : videas abeuntes funere natos
intempestivo, et foedatos cede nepotes
alterna. Veniens illa de gente cruentus
rusticus insultet generi per vulnera vestro,
et trahat ante rudem vinctos per moenia currum,
ornet et ex vobis proprios tua Roma triumphos ! "
Dixerat : ac circum gemitum lacrimasque videres
adstantesque fero attonitos intendere fini.
Illa manu pateramque tenens et lumina caelo
attollens : "Sol alme" inquit "Superique, valete ;
Massinissa, vale, nostri memor." Inde malignum
ceu sitiens haurit non mota fronte venenum,
Tartareasque petit violentus spiritus umbras.

## LIBER SEXTUS

A6 Nulla magis Stygios mirantum obsessa corona
umbra lacus subiit, postquam divisa triformis
partibus haud aequis stetit ingens machina mundi.
Obtuitu attonito stabant horrentia circum
agmina Poenarum sparsoque rigentia villo
Eumenidum tacitis inhiabant rictibus ora.
Regia vis oculis inerat, pallorque verendus
et vetus egregia majestas fronte manebat.
Indignata tamen superis irataque morti
ibat et exiguo defigens lumina flexu.
Judicis inferni postquam ad praetoria ventum est,
"Injecit sibi saeva manum" canentia Minos
ora movens dixit ; "sit carcere clausa secundo,
quem sontes habitant animae, quibus ultima vitae
cura fuit neglecta suae." Rhadamanthus acerbo
judicio firmabat idem. Jam prendere maestam
ceperat immanis lictor. Tunc maximus alte
Aeacus exclamat - siluerunt turbida late
Tartara ; trans Stygiam vox est audita paludem - :
mortis amor causa est, lucemque coacta reliquit.
Tertia claustra sibi sunt, legibus abdita nostris :
huc eat, immerita neve haec injuria nostra
accedat nunc voce recens : satis aspera vitae
mansit apud superos fortuna et mortis acerbae."
Assensere pari circum clamore faventes
umbrarum populi et nigri liventia regni
concilia. Haud aliter quam cum sententia captum
turpibus addixit laqueis crucibusque vel igni,
mens bona, quae non supplicio, sed sorte movetur
infami, trepidat ; tum, si generosior illi

conditio mortis subito detur, altera frontis
effigies vultusque alius formatur et extra
pectoris apparent lacrimis nova gaudia fusis ;
laetior ipsa quidem positaque decentior ira
optatos visura locos regina modestis
passibus ingreditur, juvenum cui cingit utrumque
turba latus, veteris repetens quasi somnia vitae.
Haud procul a ripa Lethaei fluminis illa,
quae capit expositos inamoenaque mittit in antra,
planities obscura jacet, quae collibus atris
cingitur. Hic latis aeterna silentia campis
mirteaque umbriferos vetus ambit silva recessus.
Non hic armorum strepitus studiumve frementum
cornipedum, non cura canum pecudumque boumque,
sed labor et lacrimae et longo suspiria tractu,
et macies odiumque sui, pallorque ruborque
et malesuadus amor, scelus, ira, fidesque dolique,
furtaque blanditiis immixta, jocusque dolorque,
et risus brevis et ficto perjuria vultu
crebraque sub raris habitant mendacia veris.
Illa per angustas fauces ingressa, sub ipso
limine claustrorum laqueo sua colla prementem
cernit Iphim et nimio consumptam Byblida luctu.
At procul ingenti latitabat Myrrha pudore
frondibus ora tegens. Iterum spoliator Averni
Orpheus Eurydicen. Frustra revocare parabat.
Maximus extremo nemorum vagus ibat Achilles
pallidaque immiti signabat gramina passu.
Adversa regione Paris ceu nota timeret
arma hostis gressu tacito properabat. At illum
tristior Oenone a tergo et lacrimosa vocabat ;
ipse alio tendebat iter. Tum regia virgo
et mundo matrona nocens, tot causa dolorum,
Turnus et ipse dolens rapta de conjuge campis
errabant ; mediaque duos in valle videres
solivagos lateri haerentes alternaque collo
bracchia tendentes. "Heu felicissima Thisbe ! "
Suspirans inquit ; placuit servatus Averno
dulcis amor : tantum nullis inviderat umbris ;
nusquam adeo cari meminit deserta mariti.
Nequicquam ; namque ille, senex moriturus et annis
lassandus vitae venturus ad ultima, longae est,
heroumque greges diversaque claustra tenebit."
Postquam fama ferae volitans praenuntia mortis
in vulgus effusa ruit, tunc una per omnes
it pietas : totae lacrimis maduere cohortes.
Hunc sors reginae, movet hunc injuria regis,
qui scelera accumulans majori crimine crimen
diluit ; hunc ingens duro constantia leto
feminea et nulli non admiranda virorum.
Scipio permetuens juvenis ne forsitan ardens,
nunc etiam gemini sceleris sibi conscius, in se
consulat asperius quicquam, pro tempore blandis
mitigat alloquiis castigatumque modeste
temperat et curis cupit exonerare malignis.
Proxima sic dubii medicus discrimina morbi
agnoscens, aegrum placido sermone moratur
ac monet et proprii immemorem velit esse pericli.

Altera nox fessum curis vigilemque sopore
reddidit aurorae. Jam Lucifer astra premebat,
candida jamque dies pelago veniebat ab Indo ;
jam volucrum dulces ullo sine fine querelae
audiri et nocturna silentia rumpere Procne.
Surgit et effusas jusso praecone catervas
congregat ac medio sublimis ab agmine fatur :
"Romani proceres felicia castra secuti,
victores, quos Hesperiae tot pressa per annos
terra tulit, quos innumeris nunc Africa sentit
cladibus, extremis jam jam sensura ruinis,
intentas adhibete aures et corda precanti
prona duci. Me vera quidem et comperta profari,
testis ab excelso prospectans Jupiter esto.
Gloria tam longi numquam mihi vana laboris
causa nec imperii fuerit damnosa libido,
sed patriae praegrandis amor, qui nostra vadosis
Syrtibus Oceanoque alternat castra frementi :
Hoc duce Riphaeas nudus transire per Alpes
non verear, gelidum cum bruma reduxerit annum,
estivi medio armatus nec in ore Leonis
Aethiopum penetrare latus sitientiaque arva.
Nam mihi vel dubii certa est victoria Martis,
vel mors laeta quidem ; patriae mea vita salusque,
non mihi debetur : pia debita perdere solvens
nil videor. Nunc ista tamen quo tendere pergant
expediam brevibus. Vos me per cuncta secuti
aspera, supremo mentes aptate labori.
Finis adest summumque decus. Mihi moenia circum
cingere propositum et saevae Carthaginis urbem.
Aut redit is cui cuncta uni sua vulnera servat
perfida gens nostrae tantum adversata saluti :
tum Latio interrupta quies nobisque perennis
fama venit belli fato quaerenda supremi.
Aut manet et victum cunctatio sola fatetur,
indefensa mihi, tellus, dabis impia dignum
supplicium : caesos purgabis sanguine cives.
Rurane barbaricis pedibus calcanda fuerunt
Italiae : nobis animos tam justa negabit
ultio ? Quin etiam, quod vel meminisse molestum est,
moenia nostrae urbis Capitoliaque alta minaci
comminus ille fremens vix lumine viderit uno :
nos muros spectare suos quae causa vetabit ?
Non mihi si campis veniat Mars ille secundus
Poenorum armatus Stygiaque reversus ab unda,
quattuor atque truces quos pavit in arma leones
alterno cingant latus ordine, pectora contra
ferre reformidem : sic me spectata, Quirites,
vestra monet virtus. At nunc pater inclitus umbris
occubat infernis, natorumque omnis ad unum
turba redit : Latius jugulos sic ensis in illos
fulminat. Iste autem per saecula cunca superstes
quid nisi serus honos et nostrae gloria dextrae est ?
Sit vixisse diu finis sibi fructus honesti !
Hac tandem feriere manu, licet aspera jactes
proelia et adversa Romanos cuspide fixos.
Gloria prima tamen mortis tibi cognitus auctor
Scipio, et in tumuli scribendum hoc marmore nomen.

Nunc agite, egregiis animos aptate triumphis,
ultores patriae. Tuque, o decor, inclite, regum,
Massinissa, ingens, - quem nec turbata fatigent
aequora, nec toto descendens Jupiter igne,
non ferus infesto concurrens numine Mavors - ,
accede et nostris animum sermonibus offer.
Magna tibi hoc bello virtus, multusque deorum
est favor, agnosco : nunc urbis munera nostrae,
munera pro meritis, fateor, tibi parva, sed arram
majorum, mihi crede, damus. Viden ecce frementem
cornipedem laetum phaleris auroque superbum ?
Nescit ut esse loco ! Fulgentes respice currus.
Cetera quin etiam quae circumferre triumphis
Romani statuere duces : ut iaspide crebra
texta corona micat ! Rutilo riget integer auro
en crater : quantoque manum gravis implicat orbe !
En habitus, sacra quo nil conspectius urbe
noveris. Ipse animis pridem Romana quid esset
virtus, mortales inter, te nosse fateris :
quod nescire potes, nulli tam clara solemus
externo praestare viro ; tibi nostra sed uni
arma habitum titulos nomenque decusque libenti
mente damus, te participem sociumque licebit
esse triumphorum, nobis quos nostra pararit
fortuna. In medio sedes tibi certa Senatu
semper erit nostro ; civis monimenta tenebis
omnia Romulei ; stabilem sociumque et amicum
teque salutamus regem. Tum tu, optime Laeli,
hanc auro gemmisque gravem gestare coronam
dignus habe, captosque trahens primumque Syphacem
maturabis iter. Pelago stat classis aperto
et placidum spirante fretum substernitur Austro.
At vos, o socii certaminis atque laborum,
emeritas laudes et praemia digna feretis,
cum nos laurigero Capitolia celsa prementes
laeta videns curru, cum circumfusa faventum
milia, victorum plausum fremitumque jocosque
maxima septeno spectabit vertice Roma.
Quem mihi fata diem numquam mentita propinquum
promittunt." Sic fatus erat. Jamque undique magnus
consurgens laetusque fremor pulsabat Olympum.
Ante omnes meritas grates expendere certant
rex Laeliusque duci. Spesque ingens addita regi
abstulit antiquas aliamque in viscera curam
intulit, ut regni posset protendere fines
pauperis, hostilesque suis adjungere terras ;
quod sperare quidem sors illius atque potentis
Scipiadae promissa dabant. Ceu retibus auceps
aspiciens volucrem subito discedere parvam
conqueritur, movet exigui spes perdita lucri,
major inopina mox et generosior ales
parte poli tensis si forsitan advolet alis,
erigitur recipitque animos, spesque ampla futuri
praeteriti meminisse vetat ; sic prima secundae
cura parum solido sub pectore cessit amantis.
Victor amoris amorque libidine victa libido est.
Proxima nox alia transivit imagine somni :
non habitus, non incessus, non vultus amicae

ante oculos, non vox iterum exaudita gementis ;
at solium atque urbes, at fortibus oppida muris
fluminaque et montes lati confinia regni.
Jam rubicunda vagos Eoo litore currus
aptabat ventura dies, Auroraque noctis
candida pellebat tenebras, cum buccina classem
excitat et vento tenduntur vela secundo.
Litore jam toto stabat Romana juventus
digressu visura suos. Hic verba parenti,
hic fratri perferre jubet, jubet ille sorori
hic sociis, multumque rogat : confusus in altum
clamor it et variae resonant per inania voces.
Laelius in medio conspectus amica salutat
aequora ; tum ducibus commendat carbasa ventis,
atque alacres laeto respondent murmure nautae.
At maestus mediaque Syphax de puppe reflectens
lumina supremum patriam visura locosque
in quibus altus erat, tacitus lacrimosa movebat.
Postquam claustra dolor vocisque repagula fervens
evicit, talem diffudit ad astra querelam :
"Heu tellus adversa deis, heu sidere tristi
pressa diu tellus ! Quam nostris attulit arvis
femina Sidonio fugiens a litore pestem !
Pectoribus nostris animos quos intulit illa
exul inops mulier metuens atque icta recenti
vulnere ! Nempe avidos bellorum et sanguinis atri.
Tutius ut fuerat regnum tenuisse vetustum
et pacem servasse suam ! Lato aequore gentes
discrevit natura duas adversaque fixit
litora ; nos mortem mediis quaesivimus undis.
Quid visum est nostris elementa irrumpere damnis
et vento pelagoque manus inferre tumenti ?
Sat nostro praecisa nocens a corpore tellus
Hispana et calidis fumans Trinacria venis,
quid mihi nunc vobisque fuit ? Sardinia flatu
pessima pestifero melius latuisse marinis
aeternum potuisset aquis, quo signa furentes
pertulimus. Puduit spatio requiescere tanto.
Hei mihi, non alias sic te, pulcherrima, cernam,
Africa, nec patrii tangent haec lumina colles.
Litus ad invisum ferimur. Locus ille sepulcri.
Quis putet ? Extremis genitum sub finibus orbis
Itala terra teget. Mediis at vita procellis
irrequieta fuit : sic tristes litia Parcae
distribuere mihi, sic dii statuere superni.
Hi tibi, qui vires animumque dedere superbum
omnia miscentem, meritas dent solvere poenas,
Hannibal, ingentis quoniam mihi causa ruinae es
et patriae natus miserae tu causa supremi
prima mali. Patrias utinam juratus ad aras
fulmine flagrasses merito ! Proh Jupiter, ille,
ille tibi feriendus erat. Nam vindice flamma
quid juvat innocuas quercus et saxa ferire ?
Heu puer infelix patriae cunctisque tibique !
Tuque deis invise parens, qui dira tulisti
semina bellorum, natis caruisse nefandis
quanto erat utilius ! Genitor sed tristis ad umbras
ivisti, tantos vetitus spectare furores.

Non licuit cupido mundi satiare cruore
lumina, non gladios ; at post scelerata propago
hunc fudit, saevo inferias missura parenti.
Tu certe jam digna luis. Sed, pessime rerum,
quas poenas mihi, nate, dabis, qui stagna lacusque,
qui freta, qui fluvios, qui terras sanguine turpas !
Forte ego praemoriar, tua nec sinar ultima praesens
cernere supplicia : at Manes penetrare videbo
agmine caesorum et Furiarum turbine saeptum.
At, conjunx infida, virum quae linquere frustra
niteris et nostris insultas cladibus, imos
ad Manes invita praeis, solamque videre
te potero et vultus iterum spectare pudendos.
Litore nam patrio, nisi me mea lumina fallunt,
immemor ille tui turpissimus errat adulter."
Dixit et in gremium lacrimantia condidit ora.
Illum non scopuli, non horrifer Eurus ab antro
terruit Aeolio, non monstra vagantia ponto,
devotum mortisque avidum, gelidumque cadaver
litoribus Libycis transverso turbine reddi
optantem tacite, tempestatesque vocantem.
Invidus haud aliter tenuis regnator agelli,
annua cui messis periit spes, optat iniquum
ver aliis imbresque feros et grandine mixtos
arboribus frugibusque graves incumbere ventos.
Interea Scipio curarum parte levatus
carpit iter tumulumque habili munimine cingit,
quem Tyneta vocant, turresque ibi suggerit altas,
moenia praecipiti circumdans lignea vallo.
Jamque in conspectu Carthaginis ampla repente
castra locat : late fugientibus arva colonis
vastantur ; trepidant subita formidine cives
obsessi : solamque viam superesse salutis
absentem revocare ducem clamore fatentur.
Legatos igitur raptim, qui publica fando
fata ferant, mittunt, revocentque ad proelia tandem
ultima et extremos patriae sub morte dolores ;
ast alii in Ligurum vallem properante jubentur
classe vehi atque illis Magonem avertere terris :
ni redeant, patriae summas instare ruinas.
Ille quidem, quamvis animum gravis ira cruentum
angeret, adverso quoniam tamen aspera Marte
vulnera passus erat, metuens inimica supremis
arma malis, statuit patriae parere vocanti.
Interea, blandis traherent qui tempora verbis,
ter denos oratores in castra senatu
Poenorum ex omni lectos ac ficta loquentes
Romano misere duci : quorum unus ab alto
pectore suspirans, lacrimis sic incipit ortis :
"Summe ducum, cui cuncta parem per saecula nullum
mundus habet prima numerans ab origine retro,
visceribus patriis quae publica vulnera saevae
paucorum fecere manus rabiesque nocentum,
aspice placatus tandem et miserere, precamur.
Afflictis liceat per te sperare salutem,
quam cives rapuere feri. Si parcere pulchra est
ultio, si imperium nobis auxisse receptis
Romanum, quam tantam urbem extinxisse repulsis

utilius, si victores meminisse vetustae
prestat amicitiae, quam vos praesentia tantum
atque iras pensare novas, ignoscite victis,
parcite supplicibus, rebus succurrite nostris.
Occidimus : praestate manus, hostemque jacentem
erigite, et nostro sic insultate pudori :
optima vincendi species, quando hostis amicus
fit meritis. Sed praetereo speciosa profari,
nomen amicitiae quoniam fortuna silere
nostra jubet ; satis est miseros optasse salutem
et veniam petiisse reos. Per sacra Tonantis,
per vestros, Romane, deos, ignosce paratis
supplicium poenamque peti. Non nostra negarim
crimina ; sed verum liceat, dux sancte, fateri
te coram : nostro violentus praefuit auctor
Hannibal errori nostrasque cupidine summi
imperii pavit furias, et velle coegit
quod sero nunc nolle dolet. Verum ille necesse est
ut pereat scelerumque ruat cum pondere tandem.
Sic illum sua fata vocant : tu nostra benignus
respice. Si civem crudelem sensimus hostem,
Tu civis pius esse velis, qui diceris hostis."
Dixit et ante pedes jacuit victoris. At ille
erigit et vultu respondet pauca severo :
"Non pacis tractator ego, sed victor et ultor
sum scelerum Libycas, memini, transmissus in oras
quam mihi spem fortuna ferat, victoria quam sit
prona mihi notum est. Sed me tamen ultima vestri
fata movent : animum nequeo posuisse benignum.
Mundus ut agnoscat sic nos pia bella movere,
ut nostro sit pacis amor sub pectore semper,
parcimus indignis. Has pacis figite leges
mentibus, et servare fidem condiscite tantis
cladibus edocti, superosque et sancta vereri
foedera. Bis denas non ultra litore naves
in patrios servate usus ; non bella movendi
jus vobis populi injussu ; sint proelia nostri
arbitrii ; vestro tellus Hispana subesse
desinat imperio, vestrisve quiescat ab armis.
Insula nulla, freto quod nos inter jacet et vos,
non, procul a Libyco, vivat sibi libera, Marte ;
vincula captivis turpesque auferte catenas
victorum pedibus ; stet vobis transfuga nullus,
nullus in Italia Poenorum exercitus ultra
permaneat, vestrosque duces remeare jubete.
Sique trium spatio pax, consultando dierum
quos damus, accepta est, legatos mittite Romam :
sanciat hanc Populus pacem jubeatque Senatus.
Si minus, at saltem paucis siluisse diebus,
tres liceat noctes per me duxisse quietas."
Dixit. Ad haec Cereris pro tot legionibus addit
ingentes cumulos atque aeris grande tributum.
Illi autem, veluti pacis jam nulla molesta
conditio foret ac fractis spes nulla sub armis,
omnia suscipiunt laeti populoque reportant ;
isque fremens ficto confirmat pectore pacem.
Haud secus ancipiti perjurus navita mortem
tempestate timens, ubi jam spes nulla relicta est,

vota deis cumulat pelagi tremulaque tumentem
Neptunum ter voce ciet Thetidisque marinae
numen et iratum compellat Nerea ponto :
dona dabit templis, omnem feret ille laborem.
Si redeat tranquilla dies portusque videri
comminus incipiat, sensim mens perfida tuto
atque inconsulti subeant oblivia voti.
Sic stimulante metu deludunt tempora Poeni
pollicitis, redeat donec ferus Hannibal absens.
Illum tunc vario curarum turbine fessum
ultimus Italiae Bruttiorum in monte tenebat
angulus et ludos fortunae et monstra notantem.
Hunc adeunt jussi, fandique peritior unus
sic ait : "O Libyci decus et spes ultima mundi,
o patriae jam sola salus, miserere tuorum,
quos fera terribili vexat fortuna tumultu.
Prospice pendentem mutata fronte ruinam.
Fatorum...
Jam tua suppositis arderent moenia flammis,
ni procul absentis prodesset civibus ingens
fama tui : vereorque, miser ! Ne dum aequore lato
huc ferimur, patriis errent incendia tectis.
Namque sub extremum subitosque minantia casus
liquimus. Imperio atque urbi succurre trementi,
quae revocat fidumque sibi trans aequora nomen
invocat ore pio. Tu vel te redde precanti,
vel causam te, te nostrae fateare ruinae.
Jamque tuus Libycis, nisi me praesagia fallunt,
litoribus reducem frater super aequora classem
alligat. At frustra fratrum modo turba paterque
Martius aethereas rediens invictus ad auras
auxilium ferat afflictis. Non ira deorum
tam levis, aut tali nent stamina pollice durae
Parcarum nunc nostra manus. Tibi credita soli
vita salus decus et miseri sunt omnia regni."
Dixit et invictae lacrimans dedit oscula dextrae.
Ille perorantem querulo cum murmure semper
audierat frendensque manus compresserat et se
torserat, haud aliter quam carmina noxia serpens
et magicum murmur cursumque vetantia verba
quando audit, rauco violentus sibilat ore
et sese in nodos sinuoso corpore versat.
Saepe manu frontem percusserat udaque caelo
saepe supercilia extulerat, saepe agmina, rerum
conscia tam multarum, oculo conspexerat atro.
Tandem maestus ait : "Fatum Carthaginis olim
agnovi generisque mei, fraternaque cervix
admonuit quid saeva mihi fortuna parasset.
Nunc tamen ante oculos jam fata novissima nostrae
Urbis et obscenas videor spectare ruinas.
Heu mihi, Carthago, dulcis Carthago ! Quis et te
et me et tot nostros Latia de gente triumphos
perdidit ? At tacite multos jam sensimus hostes.
Nam revocare fuit, quotiens stipendia mitti
est vetitum, bello exhaustas quotiensque cohortes
impleri. Ast odium nunc eminet, atque in aperto
res agitur : retrahunt, et me parere recesse est.
Parebo invitus. Sibi non hinc arroget hostis

externus. Non me, totiens pessundata, vincis,
Roma, nec Ausonio conspirans robore tellus.
Me cives vicere mei, Latioque meorum
invidia atque dolus pellunt, non Martia virtus :
nec modo inhonestae poterit tam maximus ille
insultare fugae Scipio, quam perfidus Hanno
consiliumque secuta suum plebs caeca senatus.
Ille meas invisus opes famamque domumque
vertere non aliter poterat quam publica nostris
damna simul miscens : populi me mole ruentis
opprimet atque una convolvet cuncta ruina,
hostis Poenorum et Romani sanguinis ultor."
Talia fervebat rabidus nimioque dolore
insanus, ceu laesus aper, cui spumea mento
faex riget et duro horrentes stant pectore saetae.
Italiae procul extremo sedet, inclita quondam,
urbs Croto : pauper claro cognomine portus,
matutina videns redeuntis lumina Phoebi.
Picturis hic egregiis ditissima templa
Junonis fuerant, Graia quae nobilis arte
Zeuxis adornarat, nimia dederatque per orbem
religione coli. Nitidas hinc quinque severae
stabat imago deae nudasque imitata puellas
et formae decerptus honos, quam corpore in ullo
se reperire simul quia desperaverat auctor,
abstulit a multis speciemque redegit in unam.
Hoc instructa fugae jam pridem atque abdita portu
Punica classis erat, quoniam variantia fata
militiae tantus fortunarumque magister
viderat ante diu steteratque paratus ad omnes
eventus. Igitur raptis legionibus huc se
contulit iratus mundo superisque sibique ;
Italico nec adhuc mens exsatiata cruore
saeva viri ad manes suprema piacula mittit.
Heu miseranda acies miserorum et magna virorum,
quo tua te fortuna tulit ! Formidine postquam
frustra animos tentasse videt, si castra cruenta
forte sequi et profugam vellent conscendere classem,
saevus inhumana confestim excanduit ira
longaevamque senum, teneram juvenumque catervam,
tale nihil veritam, nudam fragilemque et inermem,
quae pellente metu tutis successerat aris,
obtruncat : calido complentur sanguine templa,
et fremitu tectum omne sonat. Sic ille profanus
commaculatque sacros postes jurandaque Poenis
Junonis simulacra suae vultusque deorum
terrificos : gemitu ingenti domus ampla remugit.
Haec sacra contentus diis persolvisse marinis,
dux ferus et caeli contemptor maximus alti,
conscendit puppim victor funemque cruentum
solvit et Italiae flens dulcia deserit arva.
Quam tacitus lacrimansque retro multumque diuque
prospiciens pelago ex alto quatiensque minantis
more caput frontemque plicis majoribus implens,
murmure terribili sic tandem turbidus inquit :
"Italia, Italia, et rerum caput, aspera Roma,
quaenam vos nostris facilis fortuna repente
faucibus eripuit ? Tu quisquis es ille, deorum

Maxime, et in nostros nimis importune labores,
quid mihi parta diu momento temporis aufers ?
Jupiter, Ausonii defensor perfide mundi,
quis tibi nostra dedit tot clara decora sub uno
vertere posse die ? Cur non Cannensia mecum
proelia tentabas, si tanta libido nocendi est ?
Venisses utinam mediis tunc obvius armis
armassetque suo se fulmine dextra Tonantis :
Mulciber, Aetnaea calibem fornace recoctum
cuspide densasses in vulnera nostra trisulca :
hinc succincta Jovi clipeum sua nata dedisset,
Palladiaque pater texisset Gorgone pectus
atque utrumque latus stipassent vana deorum
numina ; torsisses medio, Mars, pulvere currum :
mortibus ipse gravem vacuasses, Phoebe, pharetram,
monstrificumque gerens adversa per agmina robur
Alcides genitorem arvis tutasset in illis !
Vicisset fortuna deos ibi nostra Jovemque.
O mihi care comes, consultor fide Bomilcar,
Cannensi cur sancta die tua lussa reliqui ?
Cur mihi non armis durato interque labores
tantum animi fuerit quantum juvenilibus annis
Scipiade fuit indomito, qui morte sub ipsa
audeat Italiae nostros invadere muros ?
Victor ego extimui victas perrumpere portas.
Quis vetuit Romam raptim petiisse cruento
agmine ? Quis pactam potuit mihi tollere cenam ?
Jupiter ipse dolis, non vi, qui nostra futuri
pectora caeca tulit : quod si tunc ista remota
tempora fatorum licuisset cernere nube,
non quicquid caelo et pelago terraeque deorum est,
non genus omne hominum nostros avertere cursus
hinc poterat. Spes nostra quidem et fiducia tanta
murus, Roma, fuit tibi nunc : discrimine in illo
nil acies, nil arma tibi, nil moenia, nil arx,
sed nostrae valuere morae. Proh sanguine quanto
undassent maria et Tyrrheni litoris aestus !
Quot, Tiberis, rutilo trusisses gurgite in altum
corpora ! Quot currus, quot nobilis arma senatus
aurea, quot flammis ultricibus obruta tecta
spectassem vulgique una sub strage cadentis
milia quot, specula longe metuendus ab alta !
Quas voces, quos accentus, quae murmura plebis
auribus audissem lyrici mihi carminis instar !
Nec tamen armorum, coepti nec paenitet : urbis
moenia conspexi armatus latebrisque coegi
tot claros latitare duces. Jam nempe notare
fulminibus nimbisque tuam tunc, Jupiter, iram,
si mens sana foret, poteram. Quid mixta colore
flumina sanguineo referam, tempusque sub unum
Ticinumque vadis tepidum Trebiamque rubentem,
montibus adversis genitos tractuque viarum
conjunctos, testes nostrarum in saecula rerum,
quos Padus Adriacum descendens traxit in aequor ?
Quid Trasimeni memorem sub gurgite lascas ?
Sanguine pinguescunt Italo. Satis ampla relatu
gessimus : Ausoniis annalibus Hannibal ingens
nomen erit, Latiis numquam delebile fastis

Hannibal. Exiguo restabat summa labore
fama ; sed invidit patriae dux maximus Hanno ;
invidere dei sontes." Sic tristis abibat
Hannibal et quarto linquebat litora lustro,
Italiae possessa gemens ; nec tristior unquam
vel patriam quisquam vel dulces liquit amicos,
quam patriam petit ille suam : sibi nempe videri
exul, ab hostili jussus regione reverti.
Maestior has inter curas serasque querelas
subtrahitur sensim terris. Jamque aequore currus
Phoebus anhelantes radians condebat Hibero.
Inde viae spatium noxque addita litoris omnem
abstulit aspectum. Tum dux concussa quieti
membra dedit dubiae ; certamque obversus ad Arthon
classis agens curas et sidera nota magister,
solicitat nautas quibus est custodia puppis
magnetis ferrique vias spectare sequacis
et simul insomnem studio traducere noctem.
Litora classifragis linquunt famosa procellis
atque altum tenuisse juvat. Tum lintea prosper
fert Aquilo et flatu pellit distenta secundo.
Vix dum pulchra dies pelago surgebat et astra
undique vicinum fugiebant languida solem,
cum dextra Italicae transmisso pollice plantae,
hic ubi rauca vetant iterum concurrere colles
aequora disjectos, procul exaudita pavorem
Scylla rapax nautis atque irrequieta Charybdis
incutit ancipitem. Sed conscia turba pericli
laeva secant maria et Phoebi flectuntur ad ortus.
Jam prope conspicitur fumosi verticis Aetna
sulfureis innixa vadis olimque Cyclopum
terra ferax, at nunc trucibus domus apta tyrannis.
Jam Syracusanus famoso litore portus
apparet, sulcantque fretum, quo bella gerentes
tam longe a patria, Furiis urgentibus, olim
Argolicae periere rates. Dux ipse coactus,
moenia prospectans casum testata recentem,
Marcelli meminisse sui, cui victa triumphum
illa dedere, prius diro quam proditus astu
oppeteret. Surgunt longe convexa Pachyni.
Quae dum pulsa legit ventis et remige classis,
solque diesque ruunt ; verum - sic fata jubebant -
nocte secant fluctus medios ac litora linquunt
Trinacriae pelagique via breviore feruntur.
Lenta per ambiguam fulgebat Cynthia noctem
et caecis radiabat aquis. Dux pervigil alta
puppe sedens medius, casus venturaque versat
proelia et eventus dubios finemque latentem.
Talia volventem de circumstantibus unus
compellat : "Si digna peto, dux maxime, nobis
exoptate diu, quae stet sententia rerum
nunc animo tibi, nosse velim : ne sperne precantem.
Legatus tibi sum patriae transmissus ab ipsa
atque urbis pars una tuae. Te fessa tuumque
expectat reditum. Numquid, cum litora tanges
Punica, confestim patulo confligere campo
atque manum conferre voles ? An moenia primum
intrabis, patriae spes erecturus in arma ?

An alia fortasse via meliora tuenti
consilia apparent ? Quem nostro fata labori
impositura modum reris, quemve affore finem ? "
Ille autem : "Quis certa deus sub turbine tanto
consilia expediat ? Quis det meliora tenere ?
Ibimus in patriam, quoniam sic imperat Hanno.
Forsitan et dulces muros prius ipse subibo
quam fatum tentare velim, viresque meorum
spesque animosque prius vultusque habitusque videbo.
Sin autem mediis juvenis Romanus in arvis
occurrat, pugnare mihi sententia fixa est
atque omnem potius successum sponte subire
quem deus et fortuna dabunt." Hic turbidus ille
conticuit. Senior juxta, cui flectere clavum
ars erat, annosam tollens ad sidera frontem
mox freta lata tuens, "Veniam te, Jupiter," inquit
"Neptunumque patrem atque omnia numina supplex
deprecor, infandas Libyae prohibete ruinas
atque omen prohibete malum. Mihi multa videre
vita dedit longos huc continuata per annos ;
nunc tremor invadit mentem timidumque senectus
efficit. Heu quanto stetimus discrimina contra
hostiles acies tunc, cum Romana paventem
castra pererrabant Libyam et Carthaginis amplae
moenia pulsabant. Tum dux erat optimus illis
Regulus, eximio cui sic fortuna favere
blanda videbatur, nihil ut sperare liceret
afflictis. Quantum tandem - stat Bagrada facti
testis adhuc - quantum frustra serpentis amicae
sensimus auxilium ! Latiis namque illa sagittis
obruitur transfixa fera, et sub grandine multa
telorum compressa perit - vix jugera campi
quatuor excipiunt immani mole jacentem - .
Vix tandem tot victa malis fortuna, remoto
opportuna quidem non dignis mittit ab orbe
auxilia : ipsa ducem fida Lacedaemone mittit
Graecia. Magnificos videor mihi cernere vultus
Xanthippi moresque graves librataque verba,
te quotiens, Hanibal, video, quotiensque loquentem
audio. Tu vixdum in lucem tunc editus infans.
Sed quid cuncta sequor ? Victores vincere nobis
contigit arte ducis sola, Romanaque castra
Romanasque acies Romanaque signa ducemque
fudimus, et nostras subiit dux ipse catenas.
Hei mihi, quid referam ? Quid me meminisse coegit,
Hannibal, hoc pelagus ? Namque hic, nisi noctis opace
indutiis fallor, Xanthippum saeva sub undis,
et reditum in patriam mentita et perfida classis,
demersit. Videor corpus spectare natantis
aequore tam vasto et vix bracchia fessa moventis.
Dii, quae monstra, boni ! Quae mens ingrata nocentum !
Quid volvere sibi ? Solum qui causa salutis
his fuerat, tali unanimes absumere morte !
Remigis implebam partes, illumque cadentem
et vidi et dolui et praesagia tristia finxi
ipse mihi. Vereor summum narrare dolorem
qui sequitur ; sed digna fuit vindicta deorum.
Hac equidem paucos post annos forte tenebat

impia classis iter, nec longe a finibus istis
incidit in classem Latiam : nempe ipse tremendam
nostrorum stragem, totoque incendia ponto,
et volitare trabes, et mixta cadavere vivis
corporibus, circumque atro freta tincta cruore,
et victas puppes remosque et sparsa per undas
carbasa, naufragium horrendum, fractosque rudentes,
vulnera crebra nimis mortesque et in aequore luctum
confusum, tristesque sonos trepidumque tumultum,
proelia Tartareis Ereboque simillima vidi.
Dii mihi non aliter faveant, nisi semper ab undis,
donec foeda fuit strages, fera bella cientem
Xanthippum relevare oculos atque ora videbam,
subdentemque faces ratibus flammasque per aequor
fundentem, et caelo gladios ac tela pluentem.
Nec prius ex oculis abiit, quam classis in omne
dissiluit pelagus, Siculi quod litoris unum
Sardiniaeque latus mediis disterminat undis.
Libertas equidem Xanthippo vindice nobis
tunc periit : tandemque, precor, trux ira quiescat !
Molliat ille animos : uni satis ultio tanta
una sit offensae. Sed nunc antiqua recordor,
nam locus admonuit, scelus et vindicta quod isto
contigit in pelago." Sic questus vertitur inde
ad laevam, medioque retro procul aequore Malta
ante, sed ad dextram Lilybeia litora fervent,
occultantque sinu Phrygii monumenta sepulcri.
Sic longam alterno noctem sermone levabant,
et veterum memores, jam tunc ventura timebant.
Anxia tum tenui succumbunt tempora somno,
et novus Eoo consurgens Eurus ab axe
lintea complebat facili crepitantia pulsu.
Laelius haec inter perducto rege revertens
accelerabat iter ; namque illum cara trahebant
jussa ducis profugusque hostis, multumque timebat
ne sine se fortasse dies foret ultima belli
expectata sibi semper, cum fama repente
incidit, hostiles pacem veniamque precantes
affore legatos. Igitur revocante Senatu
Laelius ipse domum repetit. Sic dulcia carae
limina cum peteret juvenis malesanus amicae,
si pater aut genitrix retrahat, vestigia flectit
lenta dolens pactamque timens amittere noctem.
Fulvius expositos Baiano in litore Romam
perduxit, comitem quem dederat ipse profectis
Scipio ; sed muros vetitis intrare vetusto
consilium de more datur. Stat proxima portis
Bellonae sacrata domus, quo tota Senatus
turba verenda coit, simul et quos miserat hostis
conveniunt. Hi multa palam quia falsa citatis
asservere deis, ira graviore Senatus
accendere animos ; pacemque et foedus avitum
poscentes meruere odium : violata negare
publica pacta quidem, causamque inferre malorum
Hannibali, cunctosque alios absolvere culpa.
Coepit ad haec varium murmur ; tum concitus unus
ex Patribus : "Quoniam pacem petiistis avitam,
dicite" ait "veteris fuerint quae foedera pacis."

Omnibus aetatis clipeus fuit : illa vetusta ;
se juvenes, neque tot retro meminisse per annos.
Punica sic patuit fraus et frustrantia tempus
verba parum latuere Patres. Excedere templo
jussi, abeunt. In tres scissa est sententia partes,
principibus quaeque usa suis, quarum una reversis
consulibus - nam forte aberant - , quae summa potestas,
responsi servabat onus ; dignumque movebat
majestate decus Latia, Liviusque morandi
autor erat reditus. At contra intacta Metellus
foedera Romano, fuerat qui causa petendi,
cuncta referre duci, nosset quique omnia solus.
Illa sed asperior sententia visa Levini
optima, quae muris pellendos censuit hostes
exploratores...
Sic sine pace retro redeunt, sine foedere raptim
et sine responso. Custodia litus ad usque
mittitur Ausoniae, ne quoquam flectere cursum,
neu fraudis moliri aliquid per Punica possint
ingenia, atque artes nati exercere paternas.
Fulvius ipse etiam Laeliusque in castra jubentur
haec patriae mandata duci non lenta referre :
pergat qua coepit primordiaque alta sequatur
fortunamque deosque suos, neu pacis in umbra
destituat coeptumve sinat lentescere bellum.
Fecerat interea pacis spes blanda sequestrae
ut terris securus iter pelagoque viator
carperet intrepidique errarent aequore nautae.
Hac spe igitur Romana ingens a litore classis
arma ferens, homines vacuisque cibaria castris
solverat et gemino sulcabat caerula cursu.
Namque alias Calaris puppes Aquilone secundo,
flatibus adversis alias Lilybaeus onustas
miserat. Has pelago tempestas corripit alto
dispergitque vagas scopulisque allidit et undis ;
pars pelago submersa perit, pars litus iniquum
victa petit, secura hostis metuensque procellae.
Omnia tunc poterat celso de vertice Byrsae
cernere foedifragum et promptum ad perjuria vulgus.
Ergo oritur subitus per moenia lata tumultus
inque forum coeunt. Pauci quibus esset honesti
cura fidesque opibus potior potiorque rapinis,
pactorum et totiens votis precibusque petite
pacis ab Italia vulgus meminisse jubebant.
Ast odiis alii caecaque cupidine praedae
flagrantes raptim arma fremunt interque tumultum,
ut solet, a multis melior sententia victa est.
Conscendunt avidi naves. Gisgonius illis
Hasdrubal eligitur sceleris dux, isque repente
egreditur portu sparsasque per aequora puppes
desertasque fuga nautarum invadit : at ille
fluctibus hinc, illinc inopini fraudibus hostis
vincuntur facile ; paucas maris abstulit aestus
demersitque alias ; plures rapuere nefandi
praedones. Medias Octavius ipse procellas
dux secuit classis ter denis puppibus, ac se
remige defesso sub tuto condidit antro
montis Apollinei vento jactatus et aestu.

Scipio tam foedae concussus imagine fraudis,
quamquam animos fortuna dabat virtusque laborum
contemptrix, nocuam justis tamen ille querelis
tres oratores oneratos mittit in urbem.
Impetus hos vulgi ferus excipit, atraque circum
tempestas lapidum exoritur : fremit impia turba
intentatque manus, et ni reverentia summi
forte magistratus intervenisset, in illo
jura die humani generis calcata fuissent
caede truci. Trepidi tandem per jurgia et hostes
praesidiis fulti exiguis, ad litora pauci
vix penetrant repetuntque ratem. Jam tuta videri
puppis ab incursu poterat, jam castra suorum
cernebant, subito cum tres a litore naves
erumpunt ex insidiis. Non partibus aequis
pugna oritur : castris litus Romana relictis
agmina in extremum coeunt, clamore vel armis
succursura suis. At quis succursus in armis ?
Unda vetabat iter. Sed enim conspecta suorum
signa dabant animos : tandem Romana sagittis
missilibus vacuata ratis conversa malignae
subtrahitur pugnae versis ad litora remis ;
ac nisu valido terris allisa fatiscit
ipsa quidem, sed vectores tellure petita
exposuit, cursus et spem frustrata sequentum.
Sic lupus invento procul a custodibus agno
irruit et dentes acuit rabiemque famemque ;
si fuga tunc trepidum rapiat de faucibus hostem,
insequitur mordetque animis et devorat auras,
donec ad ignotas caulas et ovilia ventum est ;
tum retrahit cursum : terret locus ipse canumque
latratus viridique sedens super aggere pastor.
Talia dum Poeni peragunt, non leta ferentes
Romulea revehit legatos missus ab urbe
Laelius et pavidos Latiis succedere castris
imperat. Agnovit Scipio, nec terna sub uno
tempore flagitia aut triplex injuria mitem
excussere animum. Legatos namque benigne
alloquitur : "Quamquam primum sint foedera vobis
et superum despecta fides, jusque omne quod usquam est,
non tamen a nobis modo praemia digna feretis
perfidiae. Veniet fraudes quae vindicet omnes
una dies. Nil indignum seu moribus in vos
ipse meis faciam, seu majestate meorum,
nec vestram sequar ipse fidem. Discedite tuti,
mitius armatos inter sub tempore belli
Romanos habiti, quam nos sub pacis amictu
vos inter..."
Viribus ipse animisque ingens in tempore bellum
fervidus instaurat. Libyae status ipse paventis
tunc erat ; Italia sed jam dux jussus uterque
cesserat, et varia quamvis regione profectas
aequoris, ac patriae fraternas tempore eodem
adventare acies passim jam fama ferebat.
Jamque Mago Janue solvens a litore classem
alite non fausta pelago se saucius alto
crediderat, patriam petiturus tramite recto,
si fortuna sinat. Sensim turgescere colles

cedriferi - nulli cedens hic saltibus ora -
incipiunt, raraeque virent per litora palmae.
Hinc Delphinus adest luco contectus aprico,
obice qui montis violentos protinus Austros
reicit, immotaque silens statione quiescit.
Parte alia sinuosa patent convexa Siestri.
Hinc solis vineta oculo lustrata benigno
et Baccho dilecta nimis montemque Rubentem
et fuga prospectant Cornelia, palmite late
inclita mellifluo, quibus haud collesque Falernos
laudatamque licet Meroen cessisse pudebit.
Tunc, seu pigra situ, nulli seu nota poetae
illa fuit tellus, jacuit sine carmine sacro,
Hoc mihi nunc cantanda loco. Sulcantibus aequor
insula jam Venerique placens a litore portus
exoritur, contraque sedet fortissimus Eryx
Ausonius, Siculae retinens cognomina ripae.
Collibus his ipsam perhibent habitare Minervam
spernentem patrias olei dulcedine Athenas.
Exoritur Corvique caput, tumefactaque circum
dissiliunt maria et saxis fremit unda vadosis :
cognitus in medio nautis dorsoque nigranti
arduus assurgit scopulus, cui proxima rupes
candidior late Phoebo feriente refulget.
Post in secessu curvo maris ostia Macrae
cernuntur rapidi stantisque palatia Lunae,
labitur et placidis frangens mare fluctibus Arnus.
Hunc supra in ripis sedet urbs pulcerrima Pisae.
Hanc oculis digitisque notant, propiusque patescunt
Etruriaeque latus spatioque brevissima Gorgon
Ilvaque nobilior rigidisque Capraria saxis
insula ; tum niveo praedives marmore retro
linquitur ad laevam Gilium, vicinaque contra
stant juga de gemino nomen sortita metallo :
plumbeus hic vertex, illa est Argentea rupes.
Nec procul Herculei devexo monte recessus
et Thelamonis opus nautisque infestior aequo
parvus aquis propriis violenti gurgitis Umbro.
Dextra sed a tergo ventosi frondea tractus
Corsica restabat. Jamque hinc Sardinia longae
tabificos aperit colles, hinc aurea Roma
inque procelloso Tybridis stant litore fauces.
Hic postquam medio juvenis stetit aequore Poenus,
vulneris increscens dolor et vicinia durae
mortis agens stimulis ardentibus urget anhelum.
Ille videns propius supremi temporis horam,
incipit : "Heu qualis fortunae terminus altae est !
Quam laetis mens caeca bonis ! Furor ecce potentum
praecipiti gaudere loco. Status iste procellis
subjacet innumeris et finis ad alta levatis
est ruere. Heu tremulum magnorum culmen honorum,
spesque hominum fallax et inanis gloria fictis
illita blanditiis ! Heu vita incerta labori
dedita perpetuo, semperque heu certa nec umquam
sat mortis provisa dies ! Heu sortis inique
natus homo in terris ! Animalia cuncta quiescunt ;
irrequietus homo, perque omnes anxius annos
ad mortem festinat iter. Mors, optima rerum,

tu retegis sola errores, et somnia vitae
discutis exactae. Video nunc quanta paravi,
ha miser, in cassum, subii quot sponte labores.
Quos licuit transire mihi. Moriturus ad astra
scandere quaerit homo, sed mors docet omnia quo sint
nostra loco. Latio quid profuit arma potenti,
quid tectis inferre faces ? Quid foedera mundi
turbare atque urbes tristi miscere tumultu ?
Aurea marmoreis quidve alta paratia muris
erexisse juvat, postquam sic sidere laevo
in pelago periturus eram ? Carissime frater,
quanta paras animis ? Heu fati ignarus acerbi
ignarusque mei ! " Dixit ; tum liber in auras
spiritus egreditur, spatiis unde altior aequis
despiceret Romam simul et Carthaginis urbem,
ante diem felix abiens, ne summa videret
excidia et claris quod restat dedecus armis
fraternosque suosque simul patriaeque dolores.

## LIBER SEPTIMUS

A7 Nescius extincti juvenis ferus Hannibal instans
bellum animo et varios agitans sub pectore casus,
fraternam sperabat opem, jamque affore classem
illius ac dulces cupide sibi fingere vultus,
fingere colloquia et Latiis quid passus in arvis
audire et proprios fratri narrare labores,
inque sibi infestos ulcisci in tempore cives,
Hannonem ante alios. Acies dum mente frequenter
instruit atque equitum circumdat cornua, semper
Germanum armavit primaque in fronte locavit.
Spem quoque non nunquam mens immoderata vetustam
rettulit imperii : caro tunc grandia fratri
Italiamque dedit partem, regemque vocavit ;
atque supervacuis ignarus pectora veri
implicuit curis. Volucris velut anxia nido
pabula dum cumulet, memori torquetur amore
assiduoque fremit studio et suspenditur alis,
cui tamen interea generis spem forte malignus
abstulerit natos atque incunabula pastor.
Non procul Hannibalis distabat cursus ab Afro
litore, cum jussus raptim fastigia mali
navita conscendit, quam classis prenderet oram
visurus ; summoque sedens in vertice ligni :
"Diruta" respondit "spectamus saxa sepulcri ;
huc recto impellens fert ventus tramite proram."
Tristior augurio : "Clavum rege, carbasa volve !
Flecte viam cursumque alio melioribus" inquit
"auspiciis detorque meum." Tum jussa magistri
expediunt, ac versa vadis ad proxima Leptis
litora sollicito pervenit remige classis.
Qui status interea Romanis esset in oris
quive foret Libycis, quae spes, qui terror utrimque
volveret alterno fluitantes turbine mentes,
dictu difficile est. Quotiens ingentia duri

Hannibalis monimenta animis confectaque bella
obversabantur, tunc spes Romana cadebat
victa retro ; at quotiens clari occurrebat imago
Scipiadae florensque viri et spectata juventus
ac virtus infracta malis, spes pulchra redibat
tunc Italis, terrorque iterum transibat ad hostes.
Et quanquam Latiis depulsum finibus acrem
Hannibalem fratremque oculis respublica laetis
cerneret, ast alia urgebat praecordia cura :
segnities suspecta ducum, quibus omne Senatus
mandarat studium ne quo molimine possent
in Libyam transire hostes, neu terra vel aequor
securum praestaret iter. Discrimine nullo
nunc ambos abiisse simul : nempe una pericli
conditio, sed campus erat discriminis alter,
collectisque domi Poenorum viribus, ingens
casus et excidium metuendum instabat et hora
ultima Romani imperii. Ceu corpus in omne
si longeva fuit scabies abiensque repente
deserat extremamque cutem partesque patentes,
gaudia corripiunt animum ; si forsitan aeger
sentiat abstrusum introrsum turgescere pectus,
horrescit pejora timens, pestemque priorem
optat et in regnum cordis dolet esse coactam :
sic metus extinctus minime, licet hoste remoto,
verum alio translatus, idem graviusque periclum
visceribus superesse monet. Magnumque timendi
calcar erat Fabii praesens quasi semper imago,
cui longe praesaga viro sapiensque futuri
mens fuerat certoque velut prudentia vati.
Ille quidem vulgo solitus praedicere semper,
si quando patriam peteret ferus Hannibal, Urbi
tunc veros instare metus et flebile tempus :
non ibi ductores pavidos regesque fugaces
venturos acie adversa, non lecta per agros
agmina pastorum propere, verum arma tremendum
laturum Hannibalem, cujus memorare triumphos
expleat annales ; plures qui truserit Orco
Romuleo ex populo, viduae quam liquerit Urbi ;
ast utrumque latus circum belloque geluque
duratas longaque fame vallare cohortes ;
quin etiam multos quibus ars celeberrima passim est
Romanos jugulare duces, quorum agmina nudis
Scipiadae occurrent gladiis. Nil nominis illic
majestas valitura duci, nil forma genusque,
fabula nil ortus, nil colloquiumque deorum.
Dixerat haec Fabius, quoniamque id morte sub ipsa
vaticinatus erat, veluti suprema minantis
dicta patris memori nunc jactabantur in urbe,
terrebantque animos. At enim jam parta per agros
tot votis optata quies vultusque serenus
Ausoniae laetam merito persolvere plebem
vota jubent superis. Per quinque altaria flammis
incaluere dies, totidemque onerata coronis
limina cuncta deum viridique comantia lauro.
Hannibal a Lepti trepidis rumoribus actus
ad Zammam celebrabat iter. Jamque omnia late
Scipio vastabat : facibus jam rura vel armis

ditia Romanis ardebant. Ultima secum
proelia dum pensat Poenus subitosque veretur
congressus, certos statuit praemittere contra
qui referant qua sint hostes regione locorum,
quidve agitent : quo fulsa situ quove ordine castra
consistant. Tulit hos laevo fortuna profectos
tramite ; castrorum incautos custodia captos
pertraxit ducis ante pedes. Tunc ille tribunis
imperat ut circumductis per singula monstrent
castrorum armorumque genus vultusque virorum
atque equitum peditumque habitus numerumque manusque.
paretur. Sic intrepidi tentoria passim
circumeunt : omnem abstulerat dux ipse pavorem.
Mirantur morem indomitum legesque severas
militiae durasque manus atque apta labori
corpora non glacie nec vi frangenda nec aestu,
atque cicatrices adverso corpore crebras
ingentesque acres oculos testantiaque altos
ora animos et verba tonis resonantia miris.
Postquam cuncta viris sunt explorata, reversos
Scipio subridens placide vultuque sereno
alloquitur firmatque animos : "Satis omnia numquid
ivistis per castra, viri, nostrosque paratus ?
Siquid adhuc superest, securi cuncta videte
et vestro narrate duci." Sic ille benigne
hortatus dubios hominemne deumne loquentem
audissent, stupidosque incerta mente reliquit.
Inde viris sumptus praestatur opimus equisque,
concessi comitesque viae, qui tuta locorum
ostendant, nutuque tegant, ne forte per agros
sparsa manus justam oblato putet hoste rapinam.
Talia dum Latius peragit dux, forsitan illo
Massinissa die peditumque equitumque catervae
ingentes alacri veniunt in castra fragore.
Omnibus ex visis nil tam perterruit asprum
Hanibalem quam clara hostis fiducia, magnas
spes animo volventis enim, nec bella paventis.
Attamen extremas quoniam jam fata ruinas
urgebant, aderatque dies qui nubila sortis
pelleret ambiguae, statuit tentare loquendo
ante ducis mentem adversi, si flectere possit
consilio, pacisque novos infundere amores :
sive illa egregia morum dulcedine tactus,
seu ventura pavens, seu jam longaeva laborum
taedia pertaesus, seu fraudem involvere verbis
insidiasque parans solitasque recurrere ad artes.
Nuntius haec propter praemissus pergit ad hostem
colloquiumque petit. Nihil adversatus ; et ambo
castra movent ex composito, multumque propinquis
consedere locis, facilis congressus ubi illos
jungeret. Exiguis urbs Nargara moenibus inde est
haud procul. Hunc Scipio raptim munimine collem
occupat. Haec sedes tutis aptissima castris :
dulcis aquae fontes illic et pabula passim
opportuna viris et equis. Vix milibus alter
quattuor adversis ductor distantia castris
ardua communit, scatebris ubi nulla benignis
lympha caput tollit camposque irrorat inertes,

neve diu mora tuta foret, sitis ipsa vetabat.
In medio tumulus legitur conspectus utrimque
detectusque situ, ne quid inter frondea claustra
antraque silvarum fraudisque dolique lateret :
Marcellus terrebat enim et collega peremptus.
Hinc illinc armatae acies huc gressibus aequis
agmine quadrato veniunt, paribusque remotae
subsistunt spatiis. At dux praegressus uterque
cornipede excelso positis concorditer armis ;
pone suus quemque est testisque comesque secutus
unicus interpres. Tumulo sic cominus ambo
conveniunt, summi siquidem regumque ducumque
quos aut prima tulit caeli quocumque sub axe
aut aetas latura sequens. Ceu bella Gigantes
si renovent indigna deis, stentque agmina contra,
fulmine deposito procedat Jupiter ingens
Mercuriusque comes ; tum pars adversa Typheum
mittat, et huic comitem se turpis homunculus addat ;
at longe armati spectent commercia fratres
terrigenae : tum parte alia furor ipse deorum
conticeat : promat Phoebus teneatque sagittas,
horrificamque minax quatiat procul aegida Pallas ;
terra tremat, vibrent ignes et fulguret aether ;
motibus haud aliis alioque horrore videntum
convenere pares. Sileant mihi cuncta priorum
nomina ! Non alias nullo consistere campo
majores fortuna duos visisse negabit.
Alter ad alterius conspectum haesere vicissim
immoti. Tum multa alto sub corde moventes,
dum stupor attonitos habuit, siluere parumper :
Scipio fulminei cernens horrentia circum
ora ducis vultusque truces : "Hic, Jupiter ! Ille est
cujus ab armatis legionibus ora timentur,
Italiae terror, murus Carthaginis arxque,
Hesperiae domitor, qui Gallica rura peragrans
fregit inaccessas Alpes callemque nivosum
natura luctante dedit ; tot nostra cecidit
agmina, totque duces, totiens qui lumina nostro
sanguine foedavit, campo potuitque patenti
atque acie justa magnum superare parentem
meque simul juvenem ; pavidae qui limina Romae
non ferro nostrique metu, sed numine certo
praesentique deum nimbisque faventibus urbi
liquit, et erubeo nostram debere salutem
non animis, non virtuti, non fortibus armis,
sed tempestatis tantum auxiliaribus undis."
Talia volvebat Scipio. Contra Hannibal : "Hic est,
hic cujus tenera jam nunc aetate remotos
fama polos penetrat ; cujus dant credula summis
saecula numinibus - virtus quia suggerit - ortum ;
sanguine qui patrio madidum contingere campum
non timuit, cladesque suas tam fortiter ultus
insequitur victos et nos post proelia tanta
Hispana tellure fugat, nostrosque labores
irritat. Iste abitum cunctis meditantibus unus
consilium vertit, cunctisque trementibus idem
constitit immotus. Nullus sua rura tueri
audebat : nostras en iste insultat in arces.

Hic regem, cui nostra ingens innixa manebat
spes, prius alloquio flexit, mox fregit aperta
perdomuitque acie victumque in vincla coegit.
Me quoque dejecit prius hic quam viderit ; et nunc
expulit Italia. Quid multa ? Vel iste profecto
est mihi, vel nullus toto metuendus in orbe."
Quae dum cuncta pares oculi trepidantis in ictu
volvissent animis, incepta silentia rumpens
Hannibal haec primus : "Si me mea fata maligno
sidere damnabant ut tot post bella peracta
totque acies caesas, tot campis milia fusa
solus ego pacem a vobis petiturus inermis,
fortuna variante vices, supplexque venirem,
gratulor, ex cunctis quibus hoc decus illa parabat
te potius mihi sorte datum ; quia nobilis ingens
solamen mihi victor erit, minimumque pudebit
sub tanto cecidisse viro. Tibi gloria porro
ultima non fuerit - nisi mens me conscia fallit -
Hannibalem, cui de vobis tot larga triumphos
fata dabant, cui tot campis atque agmine fracti
Romani cessere duces, tibi cedere soli,
non acie, non vi, solo sed nomine victum.
Ludibrium quoque fortunae, quae bella parenti
coepta tuo mecum nato claudenda reservat,
indigner stupeamne magiae ? Namque ille per arma
dux acer, plenis victor fortissimus annis,
ille mihi cessit juveni, victusque Latinis
finibus est. Contra tu nunc juvenilibus annis
in propria me nempe domo sine vulnere vinces
tempore jam belloque ducem victricia signa
duratosque animos durataque membra gerentem.
Cura quidem, fateor, fuerat pulcherrima pacis
gentibus indomitis. Nec enim Trinacria nobis,
non fera Sardiniae tellus, non tractus Hiberus
praemia magna satis pro tot jam classibus aut tot
sunt exercitibus, pro tanto sanguine fuso.
Culpari transacta tamen licet usque loquendo,
mutari vetitum est. Transverso calle furentes
traxit avaritiae rabies. Aliena petebam :
urgeor in propriis. Spes immoderata fefellit
atque animus paris impatiens. Sic blanda parumper
fortuna, in magnis alio furit improba vultu.
Casibus haec variis - nisi me quoque fallere dulce est -
jam satis edocuit : non sat sibi credere tutum.
Hinc ratione meos moderantem certius actus
cepit pacis amor. Tua sed ferventior aetas
et fortuna diu felix exterret, utrumque
consilio adversum pacis studiisque quietis.
Namque ego commemini medio fervore juventae
qualis apud Trebiam fuerim, - permitte profari -
qualis apud Cannas ! Talem te suspicor esse.
Nempe virens aetas et famosissima clari
te vindicta patris, te tot felicia bella
Africae et Hesperiae et nunquam mentita secundos
successus fortuna levat. Satis omnia novi.
Praeterea expertus totiens, scio quanta libido est
vincendi, quantumque decus victoria. Quando
certa foret, fateor, rerum est dulcissima ; sed nunc

quis deus hanc vobis, qui non et fallere possit,
pollicitus ? Mihi crede, aderunt, nisi sistimus iras,
corpora, ferrum, animi vultusque manusque virorum
agmine ab adverso. Simul hic quem cernis inermem,
alter erit, pectusque aliud fronsque altera longe ;
nec sonus hic vocis nec pacis inertia verba.
Ergo animos assume novos neu nomina pacis
vile sonent. "Pulchra est", inquis, "victoria". Sed spes
anxia vincendi. Pax est pulcherrima rerum.
Haec tibi certa patet, nisi respuis. Omnia versa
et quotiens animos praesentia prospera tollunt,
ante acres intende oculos circumque retroque,
nec quid laeta ferat tantum fortuna tulitve,
sed quid ferre potest animo metire sagaci.
Nil facies recte, nisi cum spes venerit illinc,
hinc metus occurrat. Tibi sin victoria forsan
cesserit : et quantum est propriis quod laudibus addis ?
Victor es et vincis, vixque unum mille triumphis
adicis. At si forte diu comitata repente
destituant te fata, ruis pereuntque labores
innumeri spesque ampla simul. Consultor et hostis
unus adest : odium sileat, res firment utrimque
utile consilium et si nulla pericula terrent,
at retrahat saltem studium te nominis alti.
Altius ire nequit : nunc conservare labora.
Magnus enim labor est magnae custodia famae.
Visne tot egregios actus et tempore tanto
quaesitum decus unius committere casus
arbitrio ? Visne una dies tot subruat annos ?
Fortunam frenare suam finemque secundis
ponere consilium est, nec parvae accessio magnae
Fortunae est tenuisse modum. Si frena relaxas,
corrues in praeceps. Possem te multa monere ;
namque exemplorum magna est mihi copia. Quantus
vir fuerat Cyrus ? Tamen is dum fine sine ullo
credulus insequitur fortunam, turpiter alto
excidit e solio. Cumulus fuit ille pudori,
feminea cecidisse manu. Felicia Pyrrhus
arma tulit : quanta potuit cum laude reverti
in regnum ! Vobis etiam mansisset amicus,
ut reor, illa animi tanta dulcedine, tali
dignus amicitia. Sed dum nec frena tenere,
nec cursum cohibere potest, collapsus ad ima
corruit. Hic medio si permansisset, abunde
sparserat Epiri celebrem per saecula famam :
ha quotiens Italo rex formidatus in orbe !
Trinacriae diadema tulit : mox cognitus Artho
sceptra etiam Macedum arripuit. Sed sistere nusquam
dum valet, ille viris invictus, gloria vulgi
feminei Argolico ruit ingens victima saxo.
Sed quia vestra magis fortasse exempla movebunt,
hac ipsa in patria Regulum fortuna supremis
aequarat ducibus. Sed dum conscendere ad astra
nititur, in tergum jacuit resupinus, acerbo
fine decus partum claudens. Aliena renarro
meque libens taceo. Fato jactatus utroque,
quid sim, quid fuerim, cernis. Vix notius usquam
invenis exemplum, fortuna volubilis in quo

luserit illa magis. Tutum est discedere sensim
illius e gremio, nimium nec fidere blandis.
Vin tu illi praestare fidem, quae volvere nunquam
desinit instabilem violento turbine rotam ?
Quae non caeca modo est, sed caecos efficit illos
quos complexa sinu est, nunquamve attollit et implet
muneribus falsis, nisi quos de culmine summo
vertere praecipiti fuerit meditata ruina ?
At fuerit suspecta tibi jam foedere fracto
Punica forte fides. Sed tu desiste vereri :
tempus pacis adest. Et vos, nisi falsa relatu
audivi, pactum foedus sprevistis, avorum
tempore, quod minime dignis auctoribus ictum
esse videretur. Nos si fortuna maligne
stravit humi, reris forsan cecidisse decoris
omne simul studium ? Non sic nos numina laevo
sidere prospiciunt. Fateor, non omnibus aeque
publica fata velim et patrios committere casus.
Nunc autem de pace agitur tractantibus illis
quorum primus honos pacis bellique futurus
et labor aut requies. Equidem, quia bella movendi
auctor eram, donec vetuerunt fata, tetendi
ut faustus foret eventus. Sic foedera certe
consilio firmata meo pacemque tuebor :
quae nobis inhonesta quidem ; sed velle necesse est.
At vobis speciosa venit. Sit dicere quamquam
victorum pacis leges poenamque jubere,
tu tamen hanc patiare reos imponere mulctam
ore velim proprio, nostris erroribus aequam.
Hesperiae tractus atque arva novissima mundi
Aeoliaeque triceps regio et Sardinia et omnis
insula Tyrrheno aut Libyco perfusa profundo
vestra sit : hinc alia ex aliis conquirite regna,
ite per extremos axes atque invia ferro
pandite fulmineo, reges calcate superbos,
vestra sub occasu victricia signa ferantur
in Boream et solis tandem volvantur ad ortus.
Nos autem Libycis arctati finibus, inde
vos dominos rerum longinquaque cuncta regentes
imperia et multum terraque marique timendos
cernamus, superis postquam fatoque potenti
id placitum." Tantum ille gravi sermone profatus
subticuit ; contra Scipio cui talia reddit :
"Certus eram quaecumque mihi promissa fuissent,
adventu turbanda tuo, nec foedera Poenos
jusve hominum vel sacra deum servare paratos,
ni cogente metu. Prius hic gravis astra volatu
scandet equus, prius hic solidus per inania collis
ascendet, caelumque cavo subsidet Averno,
quam vobis sit amica fides. Sed justa deorum
ultio persequitur sontes, stirpemque profanam
verberat et, claudo quamquam pede nisa, fugaces
prevenit interdum. Scelerum spectator ab alto
perfidiaeque deus... Quamquam tibi fabula vana est,
Hannibal, esse deum. Quotiens rubicunda cruente
litora pulsarunt absorptis classibus undae !
Viscera bellantum pelago quot sparsa natarunt !
Quot truncae aut lacerae afflictim super aequora puppes !

Quot tabo undantes aestu jactante carinae !
Quot clipei et taetro stillantes sanguine postes !
Credis adhuc non esse deum ? Sic pectore prorsus
Aegatis abrasit non multum annosa vetustas ?
Bis prius adversum nos arma nefanda tulistis,
nosque lacessiti semper, sociisque faventes
id meritis, contra stetimus certare coacti.
Nos pietas quondam Siculis succurrere jussit ;
nunc autem Hispanis, in quos tua maxima quantum
saevitia exarsit ! Dolor est meminisse pudorque ;
sera nimis miseriae quoniam Romana fuerunt
auxilia, atque ingens infamia nostra Saguntum est.
At deus ille, Deus quem vos contemnitis, aequas
exegit poenas meritis, bellique prioris
exitus ille fuit, quem vos sensistis, et idem
hujus erit, nisi justa deum vindicta fatigat.
Si qua tamen medio tulimus, quae multa fatemur,
vulnera, permisit forsan rectissimus ultor,
exercens purgansque pios. Sed prisca relinquo :
si tibi cura manet, ne pax tua civibus obsit,
et mihi, perfidiae ne praemia forte reportent,
est animus. Quid enim ? Nunc vos et foedera et omnem
spem pacis violasse parum est ; nunc foedera rursus
et pacem, indignos quos prima injuria fecit
conditione pari, petitis leviore secundam :
nec pudet ! Et quantis sese fortuna revolvat
casibus admoneor, quam sit via lubrica magnae
fortunae ; jubeor reges meminisse ducesque
quos mutata gradu subito dejecit ab alto ;
exemplisque premor. Scio quod mortalia nobis
corpora sunt, animi aeterni ; scio multa sepultis
supplicia et longos scelerum superesse dolores ;
hic famam restare bonis aeternaque caelo
praemia. Visne aliud docilem, vir docte, monere ?
Casibus expositum scio me ; teque armipotentem
egregiumque ducem fateor : desiste minari.
Scimus : et hinc major nostris speratur ab armis
gloria. Nec regnum fortunae ignoro jocantis
rebus in humanis. At nulla potentia summo
est aequanda deo. Solet hic pia bella foventes
auxilio firmare suo. At ne forte moremur
hunc totum per verba diem, si foedera vobis
prima placent, ratibusque recens injuria nostris
legatisque illata aliqua purgatur, habetis
quod petitis, neu polliciti puter inscius, ingens
munus habes pacem. Quonam fortuna reversa est
vestra vides. Si dum Latio tua fama tonabat
tempestate gravi bellorum, mitior hostis
optasses eadem precibus, tunc forte superbum
non praestare fuit. Nunc cum prope victus et omni
pulsus ab Italia metuensque et velle subactus
pacem ores, poterat recta cum fronte negari.
Et tamen, ut mundus videat non aspera nobis
dejecisse animos, non tollere prospera bella,
fortunave pares habitus consistere in omni,
posteritasque notet non nos dulcedine praedae
proelia, non odiis, sed pacis amore movere,
pax dabitur, fuerit vobis si pura voluntas.

Sed quid vana refers ? Hac est Hispania dextra,
si nescis, multoque mihi jam parta cruore.
Cetera nostra vides. Stulta est jactantia dantis
quod retinere nequit. De nostro munera fingis.
Proinde aliud paci pactisque prioribus ultro
adice, si quid habes. Quod si nimis illa videntur
importuna animis, gladios atque arma parate,
indociles tolerare togam pacemque perosi."
Dixerat, et tremula tellurem perculit hasta.
His dictis retro redeunt. Ceu cornua postquam
obnixi tenuere diu gravibusque tumentes
implevere animos odiis nisuque maligno,
digressu tacito referunt vestigia tauri,
ut gravius toto coeant cum pondere rursus,
mugituque fero complent nemus omne frementes -
circumstant reducesque acuunt in bella juvencae
quemque suae - , talis ducibus redeuntibus ore
spiritus, et talis tumido sub pectore fervor.
Postquam ad vicinas ambo rediere cohortes,
arma animosque parent in bella novissima tandem
edicunt : alacri caelum tonat omne tumultu.
Tum vero urgentes stimulos virtutis et aestus
irarumque faces graviterque minantia verba
flammantesque oculos ardentiaque ora videres :
haud aliter quam cum stipulis immittere flammam
forte ex composito late distantibus arvis
discedunt gemini agricolae ; dispersus in agros
horridus alternos nunc hic, nunc cernitur illic,
et crepitante sono subitus micat ignis utrimque.
Ut vero in castra est reditum, clamore faventi,
qualis apum strepitus regem circumstat ovantem,
pro se quisque ducum excipitur, cupidumque tuendi
funditur inquirens certatim singula vulgus.
Unus in amborum castris discurrere sermo :
supremum venisse diem, nec praemia belli
qualia praeteritis soleant spectare periclis,
nec poenas instare pares. Victoribus orbem
terrarum imperiumque sequens per cuncta patere
saecula ; tum victis extremos affore casus :
semianimis quod fracta metu propiorque cadenti
Carthago nondum icta tremat, fatoque premente
amplius immensam nequeat differre ruinam ;
Romanis non esse fugae, non collis amici
praesidium, obstrusosque abitus maris aequore circum,
alarum caelique fugam restare patentis.
Hinc igitur quoniam Terror, Spesque incitat illinc,
imperiumque ducum, vario permixta fragore
castra modis reboant miris. Hic corrigit hastam,
Ille acuit gladios, agiles probat ille sagittas ;
induit hic galeam capiti cristasque trementes
excolit, hic blando permulcens murmure fortem
frenat equum phalerisque tegit ; studet ille recurvus
ferratos aptare pedes unguemque cavatum
verberat ac crebris tinnitibus inde favillas
elicit ; hic pictum clipeum textamque catenis
loricam exiguis tenuisque rigentia ferri
tegmina circum humeros et fortia pectora ducit ;
implicat hic ocreas femori tibiasque pedesque

armat et aurata praefulget imagine poples.
[Lacune]
hic mihi, Pierides, quoniam majora pusillis
viribus aggredior, si vos ab origine semper
dilexi coluique libens, si rite vocavi,
hic praebete animos totoque Helicone favete.
Avia Castaliae sitiens convexa pererro ;
urget amor famaeque trahit spes blanda decore.
Lux ea terribili hinc illinc consumpta paratu
cesserat et celso radiabant sidera caelo.
Inclita magnificis opibus cultuque verendo
aethereas matrona virens perlabitur auras.
Stat capiti diadema sacro turritaque frontis
effigies sceptrumque manu, sed sparsa capillos
et trepido festina gradu. Cui fervida contra
multa minax mulier medioque perustior axe
ac succincta sinus pauloque annosior ibat.
Illa quoque sceptrum et regni violenta gerebat
signa, deos hominesque omnes regemque deorum
aspernata animis. Ambae simul alta tenebant,
quaque rubens Martis metuendi luminis astrum
Scorpio Chelarum amplexu caudaque tegebat,
utraque celestes pariter tempusque sub unum est
introgressa fores. Illas mirantur euntes
caelicole : rapidos tenuerunt sidera cursus.
Ut summo solio coram stetit, altera raptim
incipit : "En quantum facinus ! Junonia longum
hospita et aeternum fato statuente futura,
tentor ab Italia : nec tot sua vulnera prosunt,
nec quod, siqua fides gladiis, letale putavi,
Cannarum memoranda dies. O fata deorum
dura bonis ! Liceat justas inferre querelas,
et caelo non ficta loqui. Natura benigne
mecum egit, fateor : Superi invidistis acerbi.
Aequoris immensi pulcerrima litora clemens
illa mihi circum dederat portusque decorem
addiderat, caelique aderat clementia blandi
et vespertino venientis ab axe Favoni
dulcior afflatus Zephyrique tepentior aura.
Litoris adversi frigus glaciale videbam
et post terga graves exurere cuncta calores ;
ipsa meo contenta situ mediisque fruebar
laeta bonis. Poterat terrae celestis imago
vera, nisi fallor, spectantibus illa videri.
Adde tot illustres natos Martisque secundi
tot titulos, tot gesta ducis famamque sonoram.
Non tibi, Mars, illum fratrem fateare pudendum.
Hunc quo fata virum rapuerunt invida furtim
tempore, vulgatum est. Quantos tunc ille paratus
orsus erat, nomenque meum quo ferre putabat,
infelix, quanto flagrans genitricis amore !
Mitto alios : nam magna mihi numerosaque turba est.
Quanta mihi nuper qualisque novissima proles
contigerat ! Fateor, Superi, mordaxque fatenti
invidia absistat : non ullum regia pascit
majorem generosa Jovis. Quis fervor in ullo
par fuit, ex quo Prometheus subduxit ab astris
particulam caecique infudit pectoris antro

accenditque homines ? Quanta est constantia menti
insita ! Quam praeceps per cuncta pericula fertur !
Credite : corporeo nisi mentem carcere clausam
sarcina membrorum premeret, foret ille deorum
ex numero, solioque altus radiante sederet.
Nomine non opus est, ubi soli convenit uni
quod loqueris ; factisque satis jam cognitus orbi est
Hannibal. Ante suos perdent errantia calles
sidera et Aethiopes nivibus gravis obruet aestas
Riphaeumque gelu Borea tepefacta liquenti
solvet hiems, quam feta viro produxerit illi
terra parem. Nec fallit amor ; sed vera fatebor
parcite, Caelicolae : vereor ne tristis alumno
invidia et caecus noceat favor. Aspice terras,
Jupiter, Italiae. Viden interstrata colonis
arva suis ? Viden indigena variata cruore
flumina, et ignotis multum distantia terris
busta ducum ? Potuit latum effudisse per orbem
Hannibal iste meus, potuit disjungere montes
et saxis arctare vagis. Verum obvius illi
nunc deus est aliquis : quis enim mortalia contra
arma ferat ? Puer adverso venit agmine nobis ;
en pudor, o Superi ! Sed nec puer ille nec omnis
terreat Ausoniae tellus ! Non illa, superbo
quam tacitam hic video meditantem gaudia vultu
adversamque meis fatis. Hanc scilicet ipsam
et formidatum mundo puerumque patremque
una acie quondam collatis vicimus armis.
Nos nec adhuc tanto melior fortuna favore
ceperat amplecti. Nunc tot firmata triumphis,
quid metuam, nisi forte deos ? Succurrite famae
atque arcete nefas. Moriar nisi clauditur illo
nescio quid puero, quod me jubet usque timere."
Dixerat. At contra vultu veneranda modesto
altera procedit paulum manibusque coronam
abicit ac sceptrum, pedibusque affusa Tonantis
sic ait : "O magni suprema potentia mundi,
si tua Roma potest lacrimis perfundere sacros
te patiente pedes precibusque inflectere justis,
o superumque hominumque sator rerumque creator
optime, parce tuis, fer opem et moderare labores.
Quanta per Hesperium rapidis urgentibus Austris
flamma latus nimboque nocens undante procella
saevierit, mundo notum est et notius astris.
Nec mihi quod misere insultans nunc illa virago
obicit, infitior : candentes ossibus agros
Italiae terrisque ducum dispersa sepulcra,
et quicquid misero armorum fert impetus orbi
sustinui ; solioque pater tu passus ab alto es.
Crimina sic meruisse reor mea. Respice tandem
mitius afflictos ; et si mea crimina nondum
sunt purgata satis, tua fulmine dextra corusco
hoc caput invisum et Tarpeias verberet arces :
Hannibalem avertas ! Jamque avertisse videris,
et frates actura tibi pro munere tanto
advenio. Timui, fateor, furiasque dolosque
infandi ducis et laqueos simulataque verba.
Ille etenim, sacra quem genetrix caelo tenus effert

atque ipsis insana deis tot laudibus aequat,
fraudibus insidiisque magis confidere in armis
quam virtute solet. Possem sibi multa meorum
funera natorum... Dolor impedit heu heu quanta
saevitia est quantumque nefas, quibus illa superbit !
Sic tales cecidisse duces ! Sed tempus apertae
nunc virtutis adest, juvenem nisi fata virentem,
quem puerum vocat ipsa, odiis immitibus urgent :
quod tu, summe parens, prohibe et permitte parenti
id modo sollicite. Cesset fraus : arma ferantur
justa acie ; liceat plano confligere campo.
Vel nati me fallit amor, vel mira videbis
proelia et infames aequantia vulnera Cannas.
Divinos novi ipsa animos humanaque subter
omnia cernentes ; non quod mihi fabula mundi
persuadeat natum esse deum. Licet improba fando
excitet invidiam, divino tentet honore
praedones licet ipsa suos celebrare deisque
adnumeret ; mihi sufficiat decor ille virorum
Scipio magnanimus, similem cui nulla tulerunt
tempora, nulla ferent. Non haec me vera negabo
credere : nempe animos divinam accendere mentem
illius, ac nullum sine numine posse benigno
egregium reor esse virum. Non astra morabor
amplius. Aut nato faveas aut partibus aequis
sta medius fraudemque veta. Si cesserit illa,
vicimus haud dubie. Sed enim Junonia jactat
hospitia et superos hac sperat voce movere.
Fallitur, insanit. Stet semper nube sub iste
vel simili ! Stabitque equidem. Mihi pulchra Tonantis
Tarpeio stat colle domus, cui thura precesque
deferimus, sed rite utinam ! Pia sacra docere
tu potes ; et facies, nisi primo in limine caeli
fatorum vox intrantem exaudita fefellit.
Ergo age supplicibus pateant pia pectora verbis,
celse parens hominum, spes summa et sola bonorum.
Audieram imperium terrae pelagique supremum
et circumfuso quicquid quocumque sub axe
clauditur Oceano, Latio de sanguine natis
promitti. Sed quis nisi tu tam grandia praestat ?
Nunc autem non regna peto. Sit tuta merentum
libertas ! Liceat sitientem sanguinis hostem
a jugulis arcere meis ! Si digna rogaris,
si mihi non parcis, populis ignosce nepotum,
quos nova religio faciet tibi forsan amicos."
Finierat, stringensque pedes, atque oscula rursus
ingeminans lacrimis haerebat et ore madenti.
Subrisit vultu tacito stellantis Olympi
rector ad alterius tactus praesagia saecli.
Tandem verba parat - tremuit conterritus aether,
conticuere poli, siluit tellusque chaosque - :
"Nullo unquam ingenio patuit mortalibus." inquit
"Quid pareret ventura dies : sic nostra premuntur
consilia, arcano sic jussa silentia caelo.
Et tibi, quae partem memoras audisse futuri,
intra sidereum potuit contingere limen ;
exterius sonuisse nequit, nisi forsitan ardens
spiritus huc aliquis flammis purgatus et unda

venerit : hinc tenui quaedam penetrantia rima
erumpunt ; multa quoniam pietate coactus
vim patior. Verum quo longius omnia volvam ?
Pauca mihi e cunctis quae jam sub sole geruntur,
pauca placent : quoniam terris incognita virtus
huc refugit, totiens de vobis quaesta, quod inter
milia tanta hominum sibi vix contingat amicum
invenisse aliquem. Me purpura vestra movebit
forsitan, aut aurum praefulgens ? Cernite caeli
hoc spatium ! Gemmis forsan contingar Eois ?
Hinc Oriente alio et circum radiantibus astris
delector, meque ipse magis comitumque choreis.
Corpora qui placeant oculis mortalia nostris,
aut fragiles artus, aut forma fugacior umbris ?
Omnia sunt aeterna mihi, splendorque decorque,
divitiae stabiles mansuraque gloria regni.
At ne cuncta sequar, virtus mihi clara placere
sola potest animique habitus, quam dicere sedem
ipse meam nunquam erubui. Sed rara per orbem
hospitia invenio. Nunc vestra addiscite fata.
Est labor hinc illinc per saecula multa paratus,
mutuaque alternas tenuabunt funera gentes.
Quam fortuna premat, cui stet victoria parti,
non est nosse prius ; nisi quod cui conscia mens est
justitiae, nostrum licet hanc sperare favorem.
Ast aliam timuisse parum est. Ab origine rerum
praemia digna piis atque aspera multa malignis
edixi. Sed enim vobis nunc maxima cura est
natorum. Veniet tempus quando utraque tristi
exilio patiare tuum senescere longe
a patria, nec busta petes. Non gloria tanta,
non decus aut pietas aut fortia facta movebunt
amborum. Nimium mortalia corda volutat
ambitio. Spem, non sobolem, mihi credite, amatis.
Longior in verbis solito sum ; maxima namque
res agitur merito sermonis et indiga tanti :
imperium mundique caput ! Majore canendum
voce aliud superest : dociles advertite mentes.
Est mihi propositum, quod caligantia mundo
lumina sunt, propius vestris accedere terris
et pondus nexusque hominum, mortalia membra
sponte subire mea, vestrosque levare dolores -
quantus amor ! - Mortemque etiam tolerare pudendam.
Ingrate dureque animi, communia quamquam
munera sunt vobis, tamen haec felicior illa est,
faverit hoc equidem cui nunc victoria campo.
Hanc penes imperium simul et mea maxima sedes
semper erit : sic fixa etenim sententia sanxit.
Neve diu dilata nimis spes vestra putetur,
cuncta prius cuncti mortales ista videbunt,
quam decies latum Saturnus cinxerit orbem
limite retrogrado. Placida sic Virgine captus
jam rapior ; sacri sic mulcent ubera lactis ! "
Talia narrantem cuncti gaudentibus alis
caelicolae umbrabant atque agmina nuntia pacis.
Attonite auditis non uno tramite matres
spe varia incerte redeunt. Jam litus Eoum
sanguinolenta dies casus visura supremos

lustrabat radiis : jam classica crebra sonabant
et matutinum per castra frementia murmur.
Consurgunt hinc inde duces. Nec tanta sub astris
ulla fuit Romana dies per saecula cuncta,
nec fuit in campis ullis ductoribus aequis
aut paribus certatum odiis aut artibus aut vi.
Nec metus in praesens tantum, sed milia multa
annorum ante oculos aderant : quemcumque dedisset
hac acie fortuna gradum, patriamque domumque
et stirpem et genus et seros sperare nepotes.
Scipio distinctam campis inducit apertis
ordinibus miris aciem, dextrumque gubernat
Massinissa latus Numidis instructus, et illum
Hispanus sublimat equus cristataque signat
cassis et adverso sinuatur purpura vento.
Laelius at laevum moderatur in agmine cornu,
quem sequitur Latiis equitatus ductus ab oris.
Apulus hunc sonipes rapidum propiorque volanti
fert circum, rigidoque effulgent pectora ferro.
In medio Romana fremit praedura juventus.
Eminet his alte imperitans legionibus ingens
Scipio jamque auro, jam ferro clarus et ostro,
clarior ast animis et spe clarissimus ampla,
obscuratque alios. Surgentis lumina Phoebi
ferre velut comites nequeunt, hinc Lucifer almus
inter hebes radios, illinc Cyllenius ore
pallidus ambiguo ; nam cetera sidera circum
non expectato fugerunt omnia sole :
excitat ipse altos animos atque omnia firmat
per medias volitans acies, nitidisque tremendum
fulmen inest oculis, quod verberet ora tuentum.
Signiferis instare suis equitumque phalanges
hortari, trepidos verbis solidare, paventes
erigere ac dubios : hos obtestatur, at illos
orat, et in medium pulcherrima facta recenset
vel sua vel generis, nomenque inculcat avorum.
Hos laudat, blandis castigat vocibus illos,
objurgatque moras et amico verbere inertes
instigat ; docet ille decus, docet ultima belli
praemia quam prope sint ; discriminis atque pudoris
admonet. His stimulis animos impellit et urget.
Omnibus ille locis festinat adesse, nec ullum
perdere supremi momentum temporis ardet.
Postquam cuncta satis circum provisa suisque
praesidiis firmata videt, dux maximus acri
cornipede excelsus niveo "Si Jupiter" inquit
"hunc animum qui nostra movet praecordia, cunctis
nunc vobis notum esse velit, dubitasse pudebit
qui finis seu quae nostros fortuna paratus
exciperet. Nullus oculis sol clarior unquam
visus adesse mihi. Victoria cernitur ingens.
Vicimus. Agnosco trepidantis turbida vulgi
murmura et ambiguos motus aciesque labantes.
Vicimus. Hinc animos cerno ; statque horrida caedes
ante oculos, taboque tumens et sanguine torrens,
et cumuli ingentes patria tellure jacentum.
Ipsum ego jam video jactatis turpiter armis
excessisse ducem, video, latebrasque petentem.

Atque utinam hesterno patuissent cominus aures
cunctorum alloquio ! Licuisset noscere aperte
degenerem fractumque animum. Non iste profecto est
Hannibal ille prior, nisi nomen territat ipsum.
Imo ille est equidem : sed enim dux callidus arma
nota tremit, sentitque aliis tractanda lacertis,
consilioque novi ducis imperioque moveri.
Non sibi Cannarum consul temerarius ibit
obvius hoc campo, nec quem pugnare vetabant
omina clara deum manifestaque signa futuri,
si mens sana foret ; neque nunc Sempronius alter
praesidet his castris. Mecum non pulvis et aestus
solque oculis infestus eum ventusque juvabunt,
non nebula insidias cannisque palustribus idem
obstruet aut aciem victam torpore nivali
obruet et calido perfundet corpus olivo.
Hic mecum gladio pectus tentabit acuto,
ense latus rigido, validamque incumbet in hastam.
Hoc metuit. Pacem quotiens petiere pavore
et quotiens rupere dolis ! Si temnimus illos,
hos odisse decet. Vos nunc ad talia bella
felices igitur dextras atque arma movete.
Primus in invisos ego jam nunc inferor hostes.
Inde fuga et terror : sic, di, promittitis omnes,
sic mens saga boni strictique avidissima ferri
dextera et indomiti generosus pectoris ardor.
At vobis tanto calcata Hispania cursu
et nostrum juvenile decus, tot regia bella
ruraque perpetuis ardentia Punica flammis
occurrant. Aetas actus jam plena viriles
incipit a nobis verosque optare triumphos :
jam mihi bellorum stimulus radixque malorum
Hannibal et tanti debetur gloria coepti.
Quaecumque ingressis pelagus di signa dederunt
quando Egatis petiere patres, ac plura faventes
ostendunt. Equidem tempus mihi perdere semper
displicuit, tum praecipue cum magna geruntur.
Terror, abes ! Certa est victoria - pergite mecum :
nil moror ! - Et reditus felix. Qui visere gestit
et patriam et natos et amice conjugis ora,
hac iter est Romam ! " Victori talia certo,
non pugnaturo similis postquam ille profatus,
subticet : hortanti laeto simul agmina vultu
unanimesque alacri respondent voce catervae,
haud aliter quam si Capitolia celsa tenentem
curribus in niveis solito clamore sequantur.
Hannibal extremi fatalem temporis horam
praecipitare videns, confestim elephante relicto
praerapidum conscendit equum, vultuque minaci
terribilis, qualis pastor Polyphemus ab antro
turbidus Aeolio, vel qualis ab aethere tristis
nuntius imperiis solet apparere cometa,
instruit ingentes acies ; cunctosque elephantos,
ut grege monstrifico turbatum territet hostem,
prima fronte locat ; turresque in terga trementes
cernuntur. Totidem colles juga summa movere
dixeris ac totidem nutantes rupibus arces.
Hunc clipeum totis praetendit viribus hostis

mox Ligures Gallosque acie consistere prima
imperat, auxiliis illam Balearibus implens
ac Mauris. Acie Poenos locat inde secunda
atque Afros. Bruttio completur tertia tantum
milite, qui maestus magnaque ex parte coactus
castra sequebatur. Latis tum cornibus agros
occupat immenso circumdans agmina gyro.
Ad dextram Poenos Italis concurrere jussos
ordinat ; at laevam Numidae tenuere rebelles
optantesque armis inviso occurrere regi.
Haec ubi disposuit, quoniam sibi castra coacta
gentibus ex variis fuerant et dissona linguis,
nunc interpretibus, proprio nunc ore cohortes
accendit stimulatque, suo non segnior hoste.
Omne simul ducis egregii seu militis idem
implet opus. Primas acies ac signa ferentes
instruit, hinc alas cursuque novissima lustrat,
itque vagus blandis permiscens aspera verbis :
"Si fortuna mihi nota est mea, vicimus" inquit ;
"nec vicisse sat est : tumidum delevimus hostem
Romanumque genus, maneant modo pristina vobis
pectora, Cannarum aut Trebiae memorantia tempus.
Nullus ab adverso venit obvius agmine quem non
mille locis Italo pridem saturata cruore
fuderit haec acies, cui non fratremve patremve
aut natum abstulerit. Dux ipse ferocior annis
et pater, Ausonii tunc gloria nominis ingens,
hos timuit gladios laudataque signa cruore
infecit, nostros fugiens rediturus in enses.
Ni forsan procul a patria melioribus iste
militat auspiciis, aut nos pejoribus urbis
ante fores patriae. Non sic Carthaginis almae
immemores rear esse deos ut fortia Romae
moenia non ausi ferro defendere, nostris
moenibus insultent. Furor huc attraxerit illos ;
haec fortuna potens populo spectacula Poeno
miserit, ut quondam digitis avulsa cruentis
tot spolia. Ut modios curvo complevimus auro,
contenti patriae rerum transmittere famam
tantarum, sic formoso nunc vincula collo
laeta ducis Latii victrix Carthago videbit
et circumductos pecudum de more per urbem
Romanos errare greges Laeliumque loquacem
et varium regem atque inopem, qui nostra reliquit
arma fugax, hodie cujus, per numina testor
vos, Mauri Numidaeque, jugum vitate superbum !
Massinissa suos repetit per verbera servos.
Vos, Galli, certate odiis hostemque vetustum
nunc gladiis urgete novis : hic campus, in orbe
collectas alio, longaevas expiet iras.
At vos, o Ligures, quos me et mea fata secutos
per mare, per terras nulli cessisse labori
hic video, pugnate, precor ! Si digna manebunt
praemia victores, non vos, mihi credite, vallis
Hispida, nec regio abruptis impervia saxis,
sed campi pingues et ditia rura tenebunt
Italiae, vesterque pavor stimulusque silebit,
Roma ferox. Vos, cara mihi dilectaque multum

agmina, vosque, mei cives, impulsibus ullis
non opus aut monitis : patriam spectate trementem
hostilesque faces atque impia pila paventem ;
et notos muros, ubi prima infantia vobis
exacta est, ubi tot meriti duxistis honores,
tot laetos festosque dies ; ubi busta cinisque
majorum et memori stant scriptae in marmore laudes.
Omnis in armatis patriae fiducia dextris
et vestra virtute sita est : succurrite fessae !
Uxores vobis dulcesque occurrere natos
deprecor et trepidas matres sacramque parentum
canitiem, et patrii curam superesse sepulcri."
Nondum finierat, magnusque in verba ferebat
impetus ardentem, subito cum classica et omnes
Romanae cecinere tubae, clamorque tremendus
ortus ab adverso caelum complevit et auras,
ac strepitu horrisono volucres haesere volantes ;
quo cunctae concussae acies, trepidique elephantes
in sua praecipiti redierunt agmina cursu
turbaruntque loco, compulsaque cornua retro
cesserunt. O caeca hominum mens, inscia rerum
consiliisque illusa tuis ! Quos agmine primo
praesidium cauti ducis anxia cura locarat,
hi stragem peperere suis primamque ruinam !
Hic fragor Hannibalem medio sermone loquentem
avertit, veluti subitum si forte canenti
obstrepat et scisso descendat Jupiter axe,
Ille silet tremuloque modos sub gutture frangit
attollitque oculos et caelum suspicit atrum.
Verum tam variis totiens dux casibus olim
jactatus, totiens dubiis exercitus armis,
perstat et adversos speculatur turbidus hostes,
increpitansque metus, vires animosque fluentes
colligit, excurritque fremens, seque obvius offert.
Sicut aper, rapidis postquam latratibus actus
vulnificos instare canes atque arma sequentum
advertit, jam terga riget, jam subrigit aures,
hinc praeceps in tela ruit ; sic fervidus ibat
Hannibal, egregiique animam patris ore vocabat.
Stabat ab adverso juvenis tunc impiger acri
Massinissa animo, qui mox fluitantia cernens
cornua Poenorum, trepidos irrumpit in hostes,
et quacumque viam facit ingens belua, raptim
insequitur ; similique fretus duce Laelius inter
irruit armorum cumulos tempusque locumque
arripit ; obstantes cedit, fugientibus instat.
Scipio magnanimus violenti more leonis,
qui catulis festinet opem silvasque ferasque
obruat, in medios stricto penetraverat ense.
Illum totae acies, illum miratur ab alto
Jupiter, et nostro sibi num foret aemulus orbe
sol stetit ambiguus : rutilo sic totus in auro
fulgebat, sic purpureo radiabat amictu,
sic rigidis nitidus juvenis splendebat in armis.
Postquam est ad veros perventum cominus hostes,
Romani Poenique manus miscere cruentas
coeperunt. Ingens et inexorabilis urget
ira duces populosque duos ; nec Martius usquam

impetus asperior, nec acerbior ulla per orbem
pugna fuit. Nec enim pretio conducta gerebat
bella cohors. Aderant proprio qui sanguine vellent,
quas ipsi ediderant, odiorum extinguere flammas.
Unus amor cunctisque adeo legionibus una
mens erat : ulcisci justos vel morte dolores.
Punica perfidia et Romana superbia passim
vocibus alternis vulnus jactantur ad omne :
jurgia et infames questus, et tempore eodem
hic sonus, hic jugulis extorta silentia caesis ;
annua nunc Poenis et amara tributa subactis,
nunc fraus et capto strages indigna Sagunto,
et quicquid rabies odio flammata vetusto
armatis dictare solet. Coit omnis in unum
offensae cumulus longique injuria belli.
Pectora pectoribus tunduntur et ensibus enses,
vulnera vulneribus, mortes quoque mortibus atrae
miscentur : juvat insertis descendere ad umbras
visceribus, Manesque novo turbare tumultu,
pugnantesque animas Erebo transferre silenti.
Heu furor ! Et quanto satius vixisse quietus
finibus in patriis populus potuisset uterque !
Non sinit ambitio caecique superbia cordis
et sitis, aeterna quae spe succendit habendi
mortales, uritque animos et trudit in enses.
Confligunt infense acies ; nec publica tantum
hos odia exagitant ; credit sua vulnera quisque
et patris fratrisque necem, dum percutit hostem,
ulcisci. Usque adeo mentes offensa vetusta
asperat ! Atque odio levius certare recenti
impellunt sua castra duces et vocibus altis
accendunt animos et honesta pericula monstrant
ac subeunt. Species visa est pulcherrima mortis
pro patria pepigisse animam. Vis ampla furorum
armorumque dabat strepitus gemitusque cadentum
confusos horrore sonos. Jam sanguinis altus
it fluvius camposque rigat fumantibus undis,
jamque furens operit volvitque cadavera torrens.
Mons quoque corporibus prostratis surgit equorum
atque virum, rabidosque jugis jam separat hostes.
Non sic attonitos Aegaeo litore nautas
expavisse rear, quibus insula nata repente
est prope Therasiam ; quod monstrum doctus haruspex
Romano dedit imperio Macedumque ruinae ;
navita sed transtro rudis ac stupefactus adhaesit.
Ceperat interea pugna superatus iniqua
auxiliaris eques Poenorum excedere campo.
Insequitur victor profugos. Jam sparsa sequendo
ipsa viam cumulos inter reperire laborat
caesorum, Romana acies : pars scandere in altum
et dubio titubare gradu, pars lubrica circum
arva tenens, sparsis aditum tentare maniplis.
Signiferi fluitare etiam armorumque magistri :
et poterat vincendo vagus felicia miles
bella repentinis praevertere cladibus, atque
illustrem foedare diem, ni providus alti
Scipio consilii, revocantia signa dedisset.
Cognita nam postquam jusso tubicine campis

vox sonuit, tenuere gradum signumque secuti
in primos rediere globos. Hinc agmina rursus
turbine concurrunt alio, sed viribus isdem ;
aethere dispersos veluti cum turbidus Auster
arctavit nimbos, siluitque repressa parumper,
dum tonat, hinc pluviis et grandine mixta resurgit
tempestas inimica satis. Excesserat ardens
Scipio jam colles immensa strage coactos,
collatisque iterum signis et viribus ambae
miscebant acies aequato proelia campo.
Solicitum spectasse deum tot funera gentis
indomitae, tantosque truci sub Marte labores
crediderim, seu quis validis foret exitus armis.
Hoc equidem mundi campo commissa patenti
nutabat fortuna die, quis jura supremi
imperii summumque gradum, quis sceptra teneret.
Favisset si forte etenim sors ultima Poeno,
quis dubitet quin immensum dominata per orbem
impia Carthago rerum tenuisset habenas,
Romanumque nihil foret haec in tempora nomen ?
Itala barbaricis tellus lacerata colonis
mutasset genus egregium, majorque fuisset
Africa. Si potuit nomen sibi Graecia inermis
imposuisse suum, quanto magis Africa victrix !
Sed miserata pios divina potentia nobis
succurrit, talemque virum pejoribus annis
Italiae dedit afflictae, qui fortia bella
fortior exciperet, qui non praesentia tantum,
Sed ventura etiam discrimina pelleret unus ;
temporibus cui tuta suis innixa maneret
et cui libertas servanda sequentibus annis.
Jam media sol almus equos regione trahebat
aetherea et tantas spectabat territus iras.
Impiger et nullo defessus membra labore,
non aestu, non vulneribus, non nube calentis
pulveris, extremas manibus tentare procellas
Scipio tendebat, cuneus quo densior illum
et ducis adversi facies optata vocabat.
Ac velut Aetnaeo descendens vertice vastat
flamma cavernosi convexa trementia montis,
et scopulos ruit obstantes arbustaque frangit
obvia, sulfureae reboant simul undique valles,
sic ferus et simili prosternit turbine cuncta
Scipio, saepe monens : "Miles Romane, precor te :
aut vince aut morere : mecum nunc ultima tenta.
Haec via vel Romam, vel certo tramite ducit
ad superos". Haec vociferans intrabat in agmen
Hannibalis. Contra ille gravi cum mole ruentem
excipit impavidus. Confligunt fulmina Martis,
hinc Scipio, hinc Hanibal ; cernensque ex aethere Mavors
miratur tales terris superesse magistros
militiae, tales operum ferrique ministros.
Hic precor ut mendax desistat Graecia tandem
nominibus certare ducum ; pudeatque referre
imbelles Asiae populos Gangemque subactum.
Parthorum sileant reges et Persidis arvis
exiguo spectata phalanx ; nec conserat ipsa
Troja manum Priamique domus cantata poetis

Graiorum et nostris ; non regum quisquis odoro
crine fluens atque Assyrio crispatus amictu.
His campis non Indae acies, non fluxa per armos
purpura, non levibus tantum confisa sagittis
turba fugax ; verum hinc armis innata, virenti
robore subsistens Italo Romana juventus
arma tulit : contra assiduis exercita bellis
agmina Poenorum, quibus est Hispania testis
virtutis Latiumque magis ; quae mille per arva
Romanos hominum victores omniaque ausos
jam pessum ferro dederant et fortibus armis.
Has inter gentes alio certamine longe
concursum est, aliis animis. Jam vera fatenti
viribus haec acies praeit, haec levitate ; sed unum est
parque odium ambabus. Vix tandem fessa parumper
cedebat Poenorum acies. Tum fervidus ira
Hannibal exclamat : "Non haec tibi signa, retrorsum,
furcifer, ut referas dederam. Quin pergis ? Et illa
hostibus in mediis potius discerpta relinque.
Heu mihi ! Quo ruitis ? Non est via recta. Venite :
hac hostem reperire licet. Carthaginis estis
sic memores ? Hac forte domum remeare putatis ?
Erratis, miseri cives ! Haec carceris una
exiliique via est." Haec dicens ibat in hostes
solus et intrepidus. Cunctas sic ille pudore
et victas pietate ducis firmasse cohortes
visus erat ; bellumque ingens renovataque caedes
coeperat. Urgebat Scipio primusque premebat
obstantes cuneos et funera crebra serebat :
perfidiam numquid tam longa inferre videbo
proelia virtuti ? Non sic pietatis avitae
oblitos rear esse deos. Concurrite fortes
pectoribus manibusque, viri ! Victoria praesto est."
Talia jactabat stricto mucrone tremendus.
Jamque referre pedem paulatim exterritus hostis :
mox magis atque magis ; nec jam reverentia tanti
ulla ducis retinere diu potuisset in armis.
Ecce autem pariter redeuntes hoste fugato
Rex Laeliusque retro fessos...
improvisi a tergo invadunt. Ilicet ergo
coepta prius sensim laxis fuga pergit habenis ;
nec patriae pietas, proprii nec cura pudoris
nec decus Hannibalis quicquam valuere precesque.
Ille videns fractas acies et terga suorum
versa metu, rapidum trepida formidine tandem
volvit equum campoque fugit lacrimosus aperto,
accusansque omnes hominesve deosve, propinquum
pervenit Adrumetum. Illic moenibus urbis amicae
substitit. Hinc iterum Poeno revocante senatu
digreditur. Postquam attonitae sub moenia ventum
est patriae, non ille forum, non publica templa,
sed furtim petiisse larem contentus et ima
sede diu maestus, latebris sese abdidit atris.

# LIBER OCTAVUS

A8 Pronus ad Oceanum, cupiens narrare profundis
antipodum populis nostro quae viderat orbe,
sol rapidos stimulabat equos ; nondumque solutus
Scipio curarum laqueis, suprema volutans
excidia infandae gentis tempusque locumque
atque aditus formamque rei et discrimina secum
cuncta simul tacitus vigili sub mente movebat.
At quia solis iter devexum atque hora monere
grata videbatur fessis daret otia castris,
instituit revocare acies meritamque quietem
tradere militibus, nocturni tempora somni.
Et tamen hostili quam primum irrumpere vallo
visum est : huc alacres igitur praeit ipse cohortes
ingrediturque aditum nullo custode locorum.
Illic praeda ingens...
praecipitem meditante fugam et quid vita valeret,
non quid opes, passimque jacens pretiosa supellex
inventa est. Rapitur cupidae Carthaginis aurum
per maria et terras quaesitum sanguine multo :
barbaricae Libyco quod vieta Hispania bello
misit avaritiae, Sardis quod fessa cavernis,
quod Siculis totiens extorserat impia templis,
quod medio percussa die plaga torrida mundi
et niger Aethiopum populus regnumque perustum,
quod Mauri Numidumque olim per saecula longa
aut reges misere alii, quodque Itala tellus
tot dederat damnis ; id totum sanguine mixtum
Africa nunc revomit. Quid tot valuere rapinae ?
Raptor raptorem spoliat. Nunc ite per ampla
aequora, nunc validas prosternite turribus arces,
nunc aratrum antiquis insultet moenibus. Omnes
unus habet praedas hostis, mundique superbit
tot spoliis vestrisque simul. Tandem agmine fesso
Scipio magnanimus referens victricia retro
signa sub occasum solis sua castra revisit.
Captivos servare jubet, quaeve ampla relatu
ac speciosa forent ; nam cetera praeda viritim
sparsa erat atque animos mulcebat militis acres.
Serus Atlanteo radiabat vertice pulcher
Hesperus et nitido rarissima sidera caelo.
Aggere gramineo considit laeta juventus,
celsior at cunctis Scipio rexque additus illi
herbosum tenuere torum. Tum corpora curant
fessa labore gravi belloque exhausta diurno.
Ut dapibus compressa fames primusve quievit
impetus edendi, placido facundior ore
Laelius ingreditur : "Postquam mihi fata dedere
hunc tantum vidisse diem, contentus abibo
quo jam cumque trahent ; nec me natum esse pigebit,
dum tecum vixisse ferar, fortissime rector
Hesperiae, cui nostra salus bene creditur uni.
Hoc, fateor, solo mentem spes ultima lusit ;
nam rediens bello magna jam parte peracto,
cum Massinissam cedentem terga viderem
teque per adversos tanta virtute tonantem
"Actum de Hanibale est" tacito cum murmure dixi.

Nunc quibus ille viis aut quonam eruperit astu
obstupeo mirorque fugam ; sed notior illis
est regio, idque hodie multis fortasse salutis
causa fuit." Medio abrumpens sermone loquentem
rex ait : "Iste quidem merito clarissimus omni
posteritate dies per saecula longa feretur,
nominis Ausonii fuerit dum fama superstes.
Sed, Laeli, mihi crede, novi moresque animumque :
Hannibal anne dolis victus succumbat an armis
serius, incertum est. Unum mihi lumen in illo
centum oculis par est, Argum quem saepe vocare
bellorum soleo, quia non est fallere cuiquam
ingenium mentemque viri. Tamen omnia vitae
consilia atque omnem ancipitis discriminis artem
verterat una dies. Jamque hunc prendisse videbar
et comitem inviso Romam misisse Syphaci.
Sed dum cuncta oculis lustro vigilantibus, ille
avolat et noto decurrit tramite tutus :
nec dubium ingentes quin montes stragis et altum
sanguinis infandi pelagus vel mole vel undis
crevissent, nisi dilapsos per opaca viarum
vicinae sociis cepissent moenibus arces."
Excipit hunc Scipio : "Vitam quaecumque per omnem
aut vidi aut legi, fateor, mihi parva videntur
fabula, dum memini Hannibalis. Vidistis, amici,
quantus erat, quantaque acies firmaverat arte.
Ipse mihi adversus veniebat in agmine primo
obiciens Poenos Italis, Numidasque rebelles,
Massinissa, tibi, memor hos odioque metuque
in regem pugnare suum ; Latiamque cohortem
ecce ubi constituit, quoniam venisse coactam
noverat. In frontem stetit Indica belua pugnae,
Getulique greges : horum terrore putavit
Romanam turbare aciem, quorum impetus illi
profuit innumeris bellis. Sed amicior omnem
hunc nobis fortuna metum detraxit ; eramque
ipse ego sollicitus quibus hoc eludere monstrum
artibus aut tolerare feras quo robore possem,
atque ideo primam rara legione catervam
implevi, facilis pesti qua transitus esset,
ut cursu diffusa suo contemptior iret
innocua feritate ruens. Sed, Jupiter alme,
quam forti stetit ille animo, dum fracta videret
cornua, quam nihil extimuit, quotiensque labantem
restituit virtute aciem interdumque coegit
spem titubare meam ! Solitum jactare profecto,
mentio clarorum fuerit si forte virorum,
audivi, ipse omnis bello quod tertius aevi
orbe sit in toto ; peragitque hoc ordine : primum
ponit Alexandrum, Pyrrhum locat inde secundum,
et sequitur mox ipse duos. Sed vera fateri
non livor vetet aut odium : mihi maximus omni
Hannibal ex numero est, Darium nisi forte Porumque
est vicisse magis quam, quos numerare labor est,
tot nostros fudisse duces ; nisi praestat inermem
barbariem superasse manu, quam caede cruenta
Romanas stravisse acies. Distantia longe
acta ducum memoro. Quid ? Mores moribus aequem ?

Hinc regem nudare piget : stet tegmine famae
clarus apud populos ! At dignis laudibus acrem
hinc hostem celebrare vacat. Quis bella subire
promptior, aut medio quis cautior esse periclo ?
Quisve cibi aut somni, quis vini parcior illo est ?
Hoc admirari soleo, quod saepe relatum
est mihi : funerei post prima exordia belli,
sollicitum adsidue et facinus sub mente profunda
volventem egregium, nunquam cenasse sedentem.
Jam quid ego armorum curas artemque supremam
militiae, terramve duci clipeumve cubile,
neglectaeque decus vestis studiumque frementum
cornipedum memorare velim ? Patientia quanta est
frigoris atque aestus cursusque sitisque famisque !
Quanta ducum miles, quanta est dux militis idem
spes animis ! Quod primus eat ruiturus in hostem,
ultimus excedat campis. Haec omnia pridem
novimus experti. Si quid modo pectore in illo
aut veri aut sancti melior natura locasset,
optarem nostro genitum natumque sub orbe.
Quis mihi ductorem laudet, quem caeca gubernet
ebrietas, fugienda viro cuicumque, sed altis
principibus funesta lues ? Quis sparsa cruore
convivia et plenis elata cadavere mensis,
perque aestum ancipites algenti in flumine saltus ?
Barbaricus cui luxus iners et Persica sortis
blandimenta novae placeant ac purpura mollis ?
Cetera praetereo ; sed enim non moribus istis
Hannibal Italiam bello vastasse trilustri
evaluit." Sic fatus erat. Tum pauca modeste
Massinissa refert : "Depressor magne tuarum
atque alienarum mirator maxime rerum,
si mihi das fandi veniam, stat dicere contra.
noscendi studio famae si credis avitae,
Magnus Alexander, nullis non victor in oris,
orbe peragrato tandem pervenit ad ortus,
fortunamque simul clausit cum tempore vitae ;
Hannibal et spatio brevior victusque cruente
est hodie. Ille Asiam tentataque cuncta subegit,
innumeros domuit populos urbesque ducesque
[lacune]
"Et lupus immensum qui tuto irrupit ovile,
is timet adversum longe spectasse leonem.
Vicit Alexander populos, rex optime, nosti,
quos adiit : Graios titulis haud ille paternis
subtrahat. Ast Asiam quo vicerit inde paratu
scimus et imbelles Arabes et inertia Bactra.
At non Arctoas gentes, qua vergere primum
commoditate loci poterat, non Punica regna,
non Italos mundique caput, Gallosque et Hiberos
attigit ; hos extra, quid dignum laude videtis
egregia et tantis titulis tantoque boatu ?
Vicisse hunc omnes liceat, fudisse quod usquam est :
Regibus Eois domitis Indoque cruori
quatuor obiciam Latio confecta potenti
proelia. Visne gravem et memorandum in saecula testem ?
Alter Alexander rex Epirensis et hujus
non minor ipse animis et avunculus, orbe viritim

diviso, Italiam venit belloque subactus,
dum latus Ausonia transfixum cerneret hasta,
haec ait expirans : "Heu quam diversa nepoti
et mihi bellorum cecidit sors ! Ille jocose
femineum subigit nullo certamine vulgus ;
durior armatis mea me discrimine tanto
objecit fortuna viris". Cum talibus ergo
Hannibal iste viris tot jam fera bella per annos
qua virtute gerat nostis ; namque illa perennis
gloria magnifici regis fortunaque semper
prospera et in finem simili comitata favore
non nihil externis sicut splendoribus addit,
omnia sic studio vigili meditantibus aufert
indicium verique viam : pars altera namque
fortunae latet ambiguae, nec noscere promptum est
quantus in adversis. Brevitas quoque temporis illi
hoc tribuit, morsque ipsa viro properata, nec ullum
majus habet fortuna bonum, quam leta sub uno
et vitam clausisse die. Si tempus utrique
indultum excutias, tute fateare necesse est
Hannibal ut plures vincendo exegerit annos,
quam vivendo alius. Macedum quo vita tyrannum
tempore destituit, toto quis protinus orbe
vicerat Hannibalem ? Si tunc cessisset ad umbras,
ibat honorato visurus Tartara curru,
quaesito non de Persis Arabisque triumpho.
Sin rex longaevae traxisset fila senectae,
quis fuerit certus venturo tempore vates,
num fortuna senem exciperet, num rara secundis
forte fides seros mansisset firma sub annos,
praecipue si, quod fuerat jam saepe minatus,
Italiam senior tentasset et Africa bella ?
Singula versanti, quoniam nox alta soporis
admonet, hic illo major belloque videtur
clarior, atque hodie plus verae laudis adeptus,
si famam egregiam non dat fortuna nec aufert,
quam vincendo alius ; licet omnis Graecula circum
obstrepat et testes inculcet turba libellos."
Dixerat ; astabant intentis auribus omnes.
Miles in his gravior paulumque annosior unus
incipit : "Haud dubie quem magnum dixeris, ille
maximus est, nec parva tibi miranda videntur,
nec vulgare aliquid solitum laudare tenemus.
Hoc unum petiisse velim : si tertius ille est,
quem tandem claro tanta virtute relictum
Scipiadae putat esse locum, quove ordine sese
insereret, si forte acie victricia signa,
quod procul avertant Superi, tenuisset ab ista."
Doctus ad haec Laelius : "Tu, si quis sidera caeli
dinumerare volens hoc digerat ordine, primum
Luciferum, post Arcturum gelidumque Boetem,
hinc alios ignes, solem fortasse putabis
praeteriisse ? Imo stat per se solus, et inde
nomen habet. Nec sum ignarus quid callidus ille
responderet ad haec, acie si victor abisset
hesterna : Macedum regem Pyrrhumque secundos
esse sibi, cunctosque alios quos clara per orbem
fama duces loquitur. Sed enim se dicere quartum

noluit erubuitque altis miscere supremum
sideribusque diem." Sic ille effatus et omnes
adsensere animis nutuque et murmure laeto.
Talibus atque aliis noctem sermonibus illam
insomnem traxere diu. Jamque Hesperus alto
mersus erat pelago, mediumque rotunda loquendo
transierat jam luna polum. Tunc undique passim
defessi in viridi deponunt aggere membra.
Sic ubi tristis apes caelo commisit aperto
impetus, et magnae caedis pluit aether acervos,
pars victrix repetit sedes procul hoste remoto
et circa regem coeunt ac murmure plaudunt,
postremum irriguo dant corpora lassa sopori
atque omnes pariterque silent pariterque quiescunt.
Vixdum exorta dies iterumque ascendere classem
Laelius et Romam laeto rumore jubetur
sollicitosque implere Patres. Jamque aequora felix
nuntius ingrediens Austro dat vela ferenti.
Hic status in castris ; at quis Carthagine terror,
qui dolor aut quaenam trepidi nova cura senatus !
Plebs subitis percussa malis praetoria circum
it Patrum afflictisque jubet succurrere fatis
Poenorum, et patriae miseram prohibere ruinam.
Illi autem dubii consultant, qualiter olim,
dum scopulo collisa ratis gemit atque supremum
naufragium impendet, coeunt atque ultima tandem
consilia expediunt trepidi sub nocte magistri.
Omnibus una salus visa est exquirere quaenam
mens foret Hannibali, ducis an spectata probati
virtus sub tanto cecidisset victa periclo,
staret an adversis animus spesque ulla sub alto
pectore, et ambigui quae sit sententia belli.
Ille diu renuens tandem populique Patrumque
imperiis obstare nequit. Maestissimus ergo,
confususque pudore gravi ac maerore, latebris
egreditur, qualis rapto matrona decore,
quae quamvis culpa careat, sibi conscia tanti
dedecoris, silet ipsa tamen refugitque videri
exhorretque viri aspectum faciemque suorum.
Ut trepido stetit ille foro, confusa repente
turba ducem visura suum, quem tempore tanto
tam procul a patria longiquaque bella gerentem
audierat, populusque omnis concurrit et ingens
Curia et innumero complentur compita vulgo.
Aspiciensque suos cives generosus et asper
spiritus intumuit ; tandemque silentia tristi
fronte monens : "Uno siquidem plus viximus" inquit,
quam decuit placuitque die - crimenque fatebor
ipse meum : pridem tacitus me proelia sensi
aversis tentare deis, sed pulchra per omnes
gloria praecipitem casus famaeque libido
caeca tulit - , testes facio, quos sensimus hostes
esse, deos : actum quicquid vel arma vel artes
vel nostrae valuere manus, nec defuit umquam
cura operi egregio. Vicerunt numina nostros
conatus. Cecidi totus, nec jam ulla relicta est
spes mihi : vos precibus Romanam exposcite pacem.
Consilii haec est summa mei." Sic fatus in imas

rursus abit latebras, caelumque videre recusat.
Inde pudor mixtusque dolor, simul ira pavorque
cum quaterent animum assidue, tutasque negaret
fama moras hostisque odium, secreta paravit
effugia occultosque abitus ; lucemque per omnem
multus adesse foro, populo se inferre frequenti ;
Vespere thesauros ad proxima littora mittit
ingentes, seque ipse, vagus ceu, moenibus effert ;
dumque poli medium nox intempesta rotaret,
conscendit puppim tacitus, tum carbasa ventis
pandit et infaustae condemnat litus arenae.
Jam procul Italiam pelago spectabat ab alto
suspirans repetensque sui primordia fati.
Stat regum tentare fidem ferrique quod usquam est,
et bellum renovare ferum, mundumque procellis
exagitare aliis. Jam pridem magnus in armis
rex erat Antiochus : Syriae jam tractus et omnes
Hellespontiaci fervebant litoris urbes,
jamque Ephesum belli sedem rex ipse tenebat,
aequore jam classis campisque equitatus apertis ;
dux deerat coeptis. Huc recto tramite proram
Hannibal, huc clavum jubet, huc et carbasa flecti.
Jam Drepanum propere, jam litora nota Panormi
praetereunt curvosque sinus Zephyroque favente
Vulcanum Liparimque secant, fumumque favillis
nigrantem horrificis geminumque ardere cacumen
suspiciunt pavidi, fugiuntque juvantibus undis.
Stat sinus, Italicum latus inter et arva propinquae
Trinacriae, solitus spectantes fallere nautas
eminus, unius ac faciem protendere terrae,
abstulit id dubium donec longaevior usus
paulatim, nam continuo duo litora tractu
dixeris haerere et geminos se tangere montes,
quod quondam fecisse ferunt. Huc vela Pelorus
seu casu seu sponte dabat, namque ille magister
puppis erat. Timuit fraudem dux callidus et se
objectum ratus insidiis, nil tale merentem
obtruncat : subitoque errorem agnovit, et acris
paenituit facti. Siculo tum monte cadaver
deposuit bustumque super construxit et aram
addidit ac statuam memorem ; nomenque sepulti
nunc etiam mons ipse tenet semperque tenebit.
Faucibus emergens dubiis ratis impia vasto
sulcat iter pelago : Cephalon prior obvia surgit
ac vicina pari spatio contenta Hyacinthus.
Laeva brevem dabat inde viam, si fluctibus Isthmos
cederet ac gemini limes maris alta Corinthus.
Justius exemplo novus hic fortasse recenti
supplicium erroris potuit timuisse magister ;
ergo gubernaclum flectit. Jamque aequore ab alto
litoream Mathona vident, ubi forte Philippus
rex Macedum fuerat, jam lumine captus eodem.
Contigit hinc animum viduaeque injuria frontis
et dolor atque Italae admonuit locus ille paludis.
Inde maris latae scopulos emensus Achaei
volvitur, eximio qua palmite fertilis extat
angulus atque Euros seu Gnosia prospicit arva
innumerasque sacro sparsas legit aequore terras.

Hinc Ephesum festinus adit regisque furentis
excitat admotis ardentia pectora flammis.
Utque alias caeli ventis urgentibus oras
occupat interdum nimbus, qui grandine postquam
hos vastavit agros, illo ciet orbe procellas
ingeminans longeque tonans, sic pulsus ad ortus
Italiae vastator erat. Quos ille tumultus
excivit, quantas strages ferus ense parabat,
si fortuna foret, metuens id scilicet unum,
dis falsum jurasse suis, nempe omnia fando
si sequar, excutiar coepto. Labor iste sequentum
et decus ingeniis : fatis occurrere Eois
atque Asiam Libyae fratremque adjungere fratri.
Scipio muneribus divum tantoque favore
fretus, ad extremum invisae Carthaginis ardens
excidium intendit ; stat enim quocumque vocantem
fortunam mens certa sequi, nec mittere tempus
incassum quod fata dabant. Victricia signa
Octavio commissa duci totasque phalanges
terrestri jubet ire via et sub moenia saevae
Urbis agi ; petit ipse Uticam, quo Lentulus illis
missus ab Italia magna cum classe diebus
appulerat. Veteresque novis ubi miscuit alnos,
jam petit aequoreo Poenorum tramite portum,
scilicet ausuros pelago ratus ultima victos,
si quid adhuc reliqui faceret fortuna retusis
viribus aut animis, si spes foret ulla sub armis.
Litoribus cunctis jam formidata subibat
Ostia ; jam lituis stridentibus aequora circum
omnia, jam scopuli, jam concava saxa fremebant ;
ipse repercussus confusis vocibus aether
horrisonum late terrorem in moenia jactat.
Frondibus ecce oleae circum redimita virentis
supplicibusque onerata viris venit obvia puppis
ac pacem veniamque petens. Nil vocibus illis
responsum est aliud : firmo sunt litore jussi
adventum exspectare ducis Romanaque castra.
Ipse sub invisae classem tamen admovet urbis
moenia et aerias speculatur comminus arces.
Conspicit excelsas solido de marmore turres
liminibus super adstantes ac ferrea claustra
portarum totis et propugnacula muris,
admirans Romamque putans vidisse secundam.
Urbs circumfuso vallatur maxima ponto,
et muris et tuta situ. Nisi salsa parumper
angusti a tergo pepulissent litora campi,
insula tota foret. Subter latissima portus
planities immota jacet faucesque catenis
nectuntur validis, crebrae stant litore turres.
Ipse oculis metitur opus libratque periclum
exploratque aditus, ubi pronum prendere terram,
qua penetret portum, quae sit via tuta sub arcem
invisam ; veluti cupiens prosternere rupem
cultor agri, aut segeti damnosam avellere quercum,
it circum tentatque modos, facilemque ruinam
cogitat innocuamque aliis campoque sibique.
Jam satis immensam terrore impleverat urbem ;
Inde fretum remis, caelum clangore tubarum

intonat et signis resonant crepitantibus aure.
Digrediturque minax. Illum stupefactus euntem
Mercurii collis montique inscriptus Apollo
prospiciunt plebsque ipsa tuens horrescit ab alto,
attonitaeque gemunt matres ac multa precantur ;
anxia sic volucris tentantem prendere nidos
pastorem adspiciens, trepidis se verberat alis
multa querens truncoque pavens suspenditur alto.
Jamque Uticam appulerat, junctisque in litore tandem
agminibus sociis, uno quae tempore circum
duxerat Octavius, Tunetis moenia versus
carpit iter, classemque cavo sub monte recondit.
Non procul inde aberant, subitus cum nuntius hostem
adventare refert. Syphacis filius ultro,
nomine Vermina, sortis casusque paterni
intempestivus vindex serumque coactis
auxiliis, aderat, minime spernendus in illo
venisset si forte die ; magnasque trahebat
nunc equitum peditumque ferox in bella catervas
nescius Hannibalis victi. Neve arma capessant
Scipio militibus, vallum ne aut castra revellant
imperat, aut acies moveant aut signa sequantur.
Recta acie stabant armisque animisque parati
flectere lora manu, praevertere gressibus hostem ;
at celare jubet. Parent, et valle latenti
improvisa acies Verminae occurrit. At ille
angustis deprensa locis parat arma suosque
explicat ut licitum est. Concurritur atque cruentum
bellum oritur caedesque recens gemitusque dolorque ;
atque loco claudente fugam, truncatur ad unum
tota fere juvenis acies. Ast ipse fugaci
raptus equo medios inter delabitur hostes
solus et adversi petit avia confraga montis.
Infelix ! Quanto melius sub strage virorum
casurus miseroque patri, si fata tulissent,
carcere in Albano comes et Tiburte sepulcro !
Scipio victrices acies praedamque trahentes
innumeram, arma et equos, vestes currusque jugales
intextasque auro tunicas cristasque micantes,
ad coeptum conducit iter ; velut obice parvo
egreditur paulum ripas, mox omnia victor
obvia prosternit furibundo vertice torrens,
indignansque moras primo se dirigit alveo.
At postquam passim tota Carthagine victus
Regulus et casus sonuit fortuna recentis,
extemplo terrore gravi tremuere, minorque
luctus majoris renovavit vulnera damni ;
puppe velut fracta, remo cum tristis adhaesit
navita jactaturque vadis, cui litora longe,
spes fuste exiguo titubat, si forte malignus
fluctus et hunc rapiat, mortem gemit atque secundum
naufragium : tanta ex parvis momenta supremum
tempus habet ! Pacem lectos veniamque petitum
ter denos placet ire viros, quos vultus et aetas
et genus et virtus populo praeferret in omni.
Talia per Libyam : belli sed fama peracti
nondum Romanam serpens penetrarat ad urbem,
solicitosque Patres, Poeni quos fama rebellis

moverat, ac plebem attonitam portenta deorum
plurima terrebant : medio sol aethere visus
imminui, sensimque jubar decrevit ; et ingens
contremuit tellus arbustaque multa dehiscens
sorbuit horrificoque palam subsidit hiatu ;
Tybris agens silvas riparum jura furenti
amne supergressus magnam conterruit urbem
diluvio insolito, subitumque horrendus in ipso
monte Palatino descendit saxeus imber.
Ergo Sibyllinis aditis responsa petentes
sacra deis jussi peragunt, summusque sacerdos
succinctus de more Jovem superosque faventes
Junonisque minacis opem Latoniaque astra
invocat, et Martem pingui mollire juvenco
Romani patrem imperii torvamque sororem
Ledaeosque parat fratres Furiasque Chaosque
Telluremque deum, nisi falsa est fama, parentem
et Nymphas matres fluviorum ac Nerea magnum
Nympharum patrem. Sic relligiosus opima
certatim tepidis altaribus aggerat exta.
Postquam rite minas visum est placasse deorum,
consul ab urbe novus discedens Claudius Afrum
litus adire parat. Miserum torquebat inanis
ambitio : laudem hac tantum reperire putabat
posse via aeternam, si permittente Senatu
Scipiadae magno aequatum gessisset honorem,
inque gravi bello partes tenuisset easdem.
Is, populo prorsus licet adversante, Senatum
flexerat assiduis precibus. Quot saepe repulsis
ambitus efficitur, quantoque labore pudendus
constat honos ! Victor properabat plebis et aequi
participem se ferre duci. Natura profecto
erubuit clausitque vias, elementaque pontum
indignata gravi perturbavere tumultu.
Lauretana retro linquebant litora nautae
securi ventorum et carmina nota canentes ;
applaudente freto, remis frangentibus aequor
undique respondent rostrisque secantibus undae.
Horrida tum subitis consurgunt versa procellis
aequora et Aeolio prorumpunt carcere fratres
indomiti quatiuntque polos terramque fretumque.
Inde repentinis panduntur carbasa ventis
nequicquam : vario fervescunt caerula motu,
huc illuc rapitur classis flatuque rotatur
quolibet ; at nulla spectant navalia proras.
Hinc Aquilo violentus agit frangitque rudentes,
inde furens Auster perfundit lintea nimbis
et tumidos lato deducens aequore fluctus
litus in Ausonium frangit. Fastigia mali
subsidunt pelago. Quotiens in nubila surgit,
et Tyrrhena salo spumante cacumina pulsat,
at quotiens retro furiosa relabitur unda,
crescit in immensum Tuscum latus arvaque fundo
sicca patent nudaque tremunt delphines harena,
et crebris sonat in scopulis allisa carina.
Nox caelum tenebrosa tegit ; tum fulgura circum
saeva micant, toto descendunt fulmina caelo,
aequor agit montes et torrens unda nigrescit.

Claudius ancipitis permotus imagine fati
diriguit tremuitque metu. Nunc improba damnat
vota suae mentis, tantosque optasse labores
paenitet : armorum mallet vitasse tumultus
magnanimoque decus proprium titulosque decoros
Scipiade et belli famam liquisse perennem
ac mansisse domi et patrio jacuisse sepulcro.
Talia volventem Calabris ex montibus Eurus
horrifer impellit. Fessam Populonia classem
prima videt, saxis post hanc spumantibus Ilva,
Corsica post scopulis minitantibus excipit, inde
Sardiniae Arctoum latus attigit. Inde frementi
infelix agitur pelago et crescente procella,
magnaque pars classis fluctu superante fatiscens
in mediis subsedit aquis ; pars cautibus atris
dissiluit, durisque allisit frigida saxis
corpora nautarum ; pars turbine jacta retrorsum
litus ad Etruscum rediit, solacia busti
Italica tellure petens. At Claudius amens
et paucae morte ex media rapientibus undis
vix Calarim tetigere rates. Hic classe novanda
consulis intentumque animum memoremque pericli
attonitumque invenit hiems. Non Punica vidit
litora, non belli rumores territus ullos
auribus excepit ; lapsoque inglorius anno,
fascibus absumptis rediit privatus in urbem,
atque fatigata nequicquam classe virisque.
Felicis Romam interea laetissima belli
fama venit. Totam reserantur templa per urbem
fitque deis immensus honos : solemnia cives
quaslibet ante aras persolvunt vota frequentes :
finibus avulsos hostes, cervicibus asprum
excessisse jugum, cladem transisse metumque
in caput inque trucis muros Carthaginis ; ipsum
perdomitum bello fontem causamque laborum
succubuisse ducem ; nil jam superesse timendum.
Ambitus hic alter majori auctore magisque
exarsit Populumque omnem cunctumque Senatum
involvit : consul siquidem Cornelius altum
Lentulus imperium Libyci discrimine belli
atque annum nomenque suum illustrare parabat ;
scilicet hoc meditans, seu pax instaret, haberi
pacis honorate princeps ; seu bella manerent,
perfacilem exhausti fore jam certaminis omnem
eventum et praegrande decus. Sic ille labori
incumbens alieno, indignum ardebat honorem,
semine non proprio messem rapturus opimam.
Heu pestis damnosa homini et funesta libido
nominis, imperio nocuisti saepe Latino !
Hic ego (nam calamum fert impetus atque parumper
abstrahor incepto) vos, quos Romana loquendo
externis aequare juvat, percunctor : ubi unquam
gente pares animi totque adversantibus ulla ?
Vos mihi nunc populos regesque ducesque potentes
obicitis ; sed cesset amor livorque malignus,
quis gessit tam magna ducum regumve ? Nec illis
aemulus obstrepuit, mediosque irrupit in actus
invidiae conflata lues ; non annus agentes

fortia destituit, vetuitque domesticus hostis
imperium extendi ; non illos castra moventes
detinuit populus ; non sero in bella profecti
ante diem rediere domum revocante Senatu
aut equitum prohibente aciem peditumque novari
aut classem et merito stipendia digna labori.
Consiliis reges moderantur regna trahuntque,
non ipsi ex aliis pendent aliisve trahuntur
arbitriis : finem belli et primordia norunt ;
dum libet accipiunt et dum libet arma reponunt,
liberiore via seque et sua signa ferentes.
Non illos praecessor iners reparandaque ferro
segnities fessos in finem pertulit anni ;
non collega fuit cladis temerarius auctor
invitas rapiens in aperta pericula turmas ;
non successoris nocuit metus alta moventi,
gloriaque in praeceps tulit et celerare coegit.
Nec mihi nunc quisquam referat de nomine litem
virtutis, vanisque illam sejungat ab umbris,
aut externa sibi ceu non sua praemia tollat.
Credite, cunctarum longe blandissima rerum est
gloria, nec levibus stimulis agit insita fortes
egregiosque animos generosaque pectora pulsat.
Qua cui sit dubium quin sollicitudine dempta
hoc duce Carthago fuerit sensura supremum
excidium et meritam fato calcante ruinam ?
Quod questum persaepe ferunt post bella reversum
Scipiadam, in cineres casuram a culmine Byrsam
invisasque domos stirpemque genusque deosque
Poenorum et nomen, ni caeca Claudius ardens
ambitione prior, post Lentulus alta ruentis
ambo humeris dirae subiissent moenia terrae.
Consulto tamen has superos servasse nepoti
reliquias famamque reor nomenque secundum.
Verum ego pervideo quo sim progressus et unde ;
nunc redeo. Postquam Tunetis victor ad arcem
Scipio pervenit, legati tramite recto
hunc adeunt tristes genibusque trementibus una
affusi, miseris verbis et supplice vultu
fortunam erroresque suos rabiemque furentis
Hannibalis patriaeque graves sine crimine casus
deplorant, veniamque petunt. Praecluserat aures,
victorum temerata fides ac Punica fraudis
exempla abruptaeque recens injuria pacis.
Res in consilium perlata est : omnibus idem
ardor erat : ferro instandum et vindice flamma
perfidiae, ac pacis nullas admittere voces.
Cunctorum votis oberat longaevus in illa
obsidione labor perdendaque gloria tantae
summa rei, ducis adventu quem fama canebat.
At minime ingentes animos fixumque movebant
Scipiade ingenium ventosae nomina famae.
Altius aspirans caelum spectabat et astra
virtutisque decus nudum. Tamen omnia fidi
pectora consilii pariter permota severo
proposito flexere ducem, lacrimisque petitam
uberibus tandem placuit permittere pacem
et bellum finire ferum. Sic villicus olim

nocturnos metuens fures, legit arbore poma
immatura astu ; sic pastor pendula ramis
hospitia et nidos spoliat pullosque reportat
implumes properans serpentum avertere pestem.
Postera lux iterum legatos multa precantes
retulit. Hos Scipio dictis compellat amaris :
"Impia gens, credes tandem tot cladibus ullum
esse deum caelo, qui nostros vindicet actus,
cui scelus omne odio, cui sint mortalia curae ?
Effera gens, infensa bonis, mitescere sero
incipe, docta malis, rabiemque aliquando nocendi
exue. Semper erit tibi summa et sola voluptas
fallere, nec fraudis studium, gens perfida, linques ?
Nos equidem, quamquam extremas merebare ruinas,
parcimus indigne meritasque remittimus iras.
Hactenus ut steteras, stabis nec strata videbis
moenia, nec victor quicquam de finibus aufert.
Libertas meritis servilia cuncta manebit.
Hannibalem causam belli fontemque furorum
poscimus : utilius vobis vestraeque quieti
quam nobis, illum abicitis, quo sospite pacem
nec sperare licet ; bellorum semina pectus
illud habet, tanto quae vobis sanguine constant.
Hoc Italas strages, hoc ipso ulciscere mortes,
gens afflicta, tuas, mundumque deosque per illum
elusos totiens ; geminis hoc insuper uno
urbibus aeternum populisque auferte pavorem.
Nullus ad haec Libycis elephas mitescat in oris,
aptum animal bellis, et quos domuistis ad unum
tradite. Quin etiam violatis pacis in umbra
legatis illata palam convicia dignus
penset honos. Captae redeant hoc litore naves.
Cetera convenient facile, et sub legibus isdem
quas olim edixi, cum me sub nomine pacis
ludere venistis ; nec nos fortuna levabit
blanda, nec asperior franget vos. Ista referte
Patribus ac Populo ; et si semper fallere dulce est,
fortunam tentate iterum." Sic ille paventes
affatus...
Urbe miser trepida populo variante tumultu
exoritur, discorsque diu sententia. Tandem
omnia suscipiunt tristes : sic fata jubebant
ultima ; condensis volucris ceu vepribus haerens
accipitrem super astantem videt anxia, nec se
ausa movere loco, patitur laqueumque manumque
aucupis : impendens tanti est differre periclum.
Altera Romuleam legatio tendit ad urbem
Poenorum ; princeps noti cognominis Haedus
Hasdrubal infestusque armis et pacis amator,
vir vita senioque gravis facieque verendus
annosa, Hannibalis multum fautoribus impar.
Tres secum comites Itali venere secuti
Romani ducis imperium. Sed Lentulus, aeger
ambitione sua, legatos arcuit urbe ;
nam belli cupidus consul fugiebat honestum
pacis iter ; donec victo molimine tandem
aede sacra Bellona Patres hostesque recepit.
Postquam legati pleno introiere Senatu

longaevi multa cum majestate silentes,
canitiesque graves vultus et colla reflexis
crinibus exornans miro squalore refulsit,
cunctorum movere animos. Nunc pacis amicos
venisse affirmant animisque et vocibus illam
orantes ; nunc vera peti. Tunc Hasdrubal Haedus
incipit : "Erratis veniam si numina nunquam
exorata negant, spes me tenet optima, Patres
conscripti, superis quos fama potentibus aequat,
et pietate pares. Fateor, mihi fessa senectus
jam pridem attulerat longae fastidia vitae,
praecipue postquam egregium nova bella petentem
conspexi juvenem. Timui, casusque futuros
ante diu agnovi ; linguae sed forte peperci
aut tacui metuens. Sed enim me serior aetas
fecerat audacem. Testis mihi Jupiter esto
caelicoleque alii, testis mihi maxima quondam
Carthago : huc etiam solitam transcendere famam
auguror, infestus studiis juvenilibus atque
consiliis quotiens fuerim quotiensque periclis
obtulerim mortique caput. Sanctissimus Hanno
et comes et testis superest, quem - parcet Hamilcar -
Africa terra tulit nulli ratione secundum.
Cum primum puer ille ferox Hispana gerentem
bella patrem blandis conatus flectere verbis
ut secum perferret eum, juratus ad aras
constitit, heu monstrum horrendum, nos multa vicissim
contulimus ; tunc ancipitem trepidare favillam
coepimus : at veniam dedimus puerilibus annis.
Sed rapto genitore - utinam quem fata tulissent
maternum dum pondus erat funestaque mundo
sarcina ! - Praecepti puer hic memor ire parabat
Hesperiam jam dira tumens. Vesana favebant
ingenia, atque animos laudabat turba paternos,
in puero vultus mirata et verba sepulti.
Obstitimus tunc ambo palam, nec profuit ; ivit
assuevitque malo imperio et feralibus armis ;
et magnam tenui flammam accendente favilla,
quanta per Ausonium ruerint incendia mundum
vidistis. Nunc nos incendia nostra videmus,
inque suas sedes tandem vaga flamma reversa est.
Vix mihi danda fides fuerit, sed numina juro
conscia : non alio vestras me pectore clades
ingemuisse olim, quam nostrae vulnera gentis
lugeo nunc ; quoniam semper rectissimus ordo
hic mihi visus erat, seriesque immota malorum
ex Latio in Libyam, vosque ut fera flamma relinquens
nos peteret nostrasque domos. Ignoscite, Patres,
funestum memorare diem, cui sanguine multo
reddidimus modo nempe parem : quo tempore cladis
Cannensis cupidam complevit nuntius urbem,
publica laetitiae duo nos spectacula soli
voce parum fausta et maesto foedavimus ore.
Tunc quoque magnanimus quae post mala sensimus, Hanno
vaticinatus erat. Sed fata inimica trahebant
infortunatam sub digna piacula plebem ;
jam miseras monitis fortuna salubribus aures
clauserat atque oculos velo fallente tegebat.

Parcite, Romani : deus et fortuna priores
eripuere animos, quod vis humana nequibat.
At pudet incusare deos. Erravimus omnes
culpaque cunctorum fuerit ; sed vera fatebor,
crimine turba caret : malesani pectoris ardor
ac furor ille fuit duraeque potentia sortis.
Namque ego, me rigidum quanquam vocet atque severum,
absolvo populum ; paucos sed crimine vero
condemno, paucosque dolus me judice nectit
grandiloquos tumidosque animis, qui gesta suorum
in populum jactare solent, statuasque ruentes
ostentare situ, reliquorum carpere verbis
omnia, seque duces vulgo praestare furenti.
Nec pudet adversus primordia vestra jocari,
Alpinos habuisse patres, populumque vocare
pastorum ! Non improprie ; nam judice Marte
hactenus indomitos reges et bella professos
ut totidem tractatis oves, populique videntur
in pavidos abiisse greges. Sat cognita mundo
sunt generis elementa novi et Mavortis origo,
quem factis verum esse patrem et virtute probatis.
Nunc ubi turba nocens, latebris quibus abdita torpet
degeneri vallante metu ? Cur magna locuti
non redeunt, miseros et hiantem fallere plebem
pollicitis ? Utinam veniant patriamque revisant,
ut liceat sontes meritis innectere vinclis
et juvenes raptare senem. Non laetior amplo
Scipio conscendet Capitolia vestra triumpho,
quam nostri scelerata ducis compressa catenis
huc traheret mea colla manus, summumque putarem
me patriae infando duxisse ex hoste tropaeum.
Nec minus Hasdrubalem, si quid mihi creditur, odit
perfidus ille animo, quam quos sibi praedicat hostes ;
nec magis horreret vestros praecedere currus,
judicio quam stare meo. Verum ipse per umbras
effugit noctis medio, nec cernere vultus
sustinuit nostros, causam quibus esse malorum
se norat : patriam timuit spectare ruentem.
Ergo abiit tacitus laesa contentus ab urbe
exilium peperisse sibi : decreta suorum
nempe nocens pavet atque iras vultusque manusque.
Et merito crucibus penderet victima tristis
ille modo volucres pascens informe cadaver,
piscibus aut pelagi medias effusus in undas
esca foret, canibus dignus cibus ille marinis,
aut aliquid monstri Libyci censura rigoris
in caput id meritum studio certante novasset.
Denique non frustra vobis foret ille petitus
debitus ambobus populis et debitus orbi ;
ipse ego vel vivum vel frusta cruenta dedissem
semesumque caput. Vobis hinc nostra voluntas
sit satis, oramus : concors nam jussa libensque
cetera Poenorum complectitur omnia vulgus,
quae vestro placuere duci. Spectate tabellas :
singula conveniunt. Pulchra est vindicta precanti
parcere prostrato. Nulla est victoria major
quam vicisse animum. Nam felicissimus ille est
qui se felicem vultuque animoque modesto

agnovit, tenuitque modum ; quod forte videtur
difficile insuetis, stimulis quod gaudia tangunt
parva repentinis animos nec frena regentes
praecipitant. At perpetuis satiata triumphis
pectora sunt vobis, parcendi summa voluptas ;
nec minus imperium venia quam fortibus armis
Romuleum auxistis. Vestrae pietatis egentes
nos sumus, et veniam positis exposcimus armis.
Parcite supplicibus : satis est potuisse nocere !
Magna sumus vobis aeternum gloria victi,
maxima servati. Quod si vos forte merentum
poena juvat justusque dolor, nisi fallor abunde est
quod memores statuere dei quodque intulit ingens
Scipio. Si quid adhuc superest, ignoscite victis
victores : fuerit vobis pars ultima magnae
vindictae affusum hic vitam veniamque precantem
Hasdrubalem vidisse senem." Sic ille locutus
continuit tacitum veneranda fronte dolorem.
At comites passim projecti in limine, verbis
flebilibus tenuere Patres, lacrimisque Senatum
implevere suis ; nati ceu funus acerbum
stat pater aspiciens, lacrimas nec fundit aniles,
luget hic interius ; genitrix resoluta capillos
maesta jacet tunditque genas gemituque madescens
aethera femineis vacuum mugitibus implet.
Coeperat auditis jam mitior ira Senatus
inflecti et sensim lenito pectore justas
exaudire preces. Tum vero ex Patribus unus
perfidiae infensus Poenorum : "Dicite per quos
subsistet pax ista deos foedusque secundum ;
nam primos sprevistis" ait. Tunc fronte modesta
Hasdrubal assurgit paulum, "Perque" inquit "eosdem
perjuris adeo infestos jurabimus istam
pacem alia servare fide." Vox illa querelis
imposuit finem, vultusque animosque serenans
ac responsa Patrum. Pacem sanxere frequentes.
Hasdrubal hic iterum : "Di vobis justa rependant
praemia, Romani, nostro qui digna furori
supplicia aufertis meritasque remittitis iras.
Nunc ego, nam veteres non amplius alloquor hostes,
sed dominos sociosque novos, hoc deprecor unum :
nos vestrae cupidos admittite moenibus urbis
captivosque videre date et cognoscere cives.
Sat mihi longarum solacia magna viarum
haec fuerint, serique decus mercesque laboris,
quodque libens longinqua petam super aequora, Romam
et mundi vidisse caput." Quodcumque petebat
permissum, et magnam admirans ingressus in urbem est.
Non aliter stupuit, nisi falsa est fabula, caelum
ingrediens viridi subito translatus ab Ida
Laomedonteus puer, ut vaga sidera circum
haesit et Iliacas despexit ab aethere silvas.
Appia marmoreo suscepit limine porta
prima viros ; magno mox obvia moenia gyro
Pallantea vident, quo structa est regia monte
Evandri primusque novae locus inclitus urbis ;
hic elementa notis impressa, hic Arcados almae
divinum ingenium et miracula maxima rerum

monstrator docet ipse viae librosque repertos
fatidicae Carmentis opus, quantumque Latinis
contulit ingeniis mulier veneranda per aevum.
Caelius ad dextram remanet, fastigia laeva
collis Aventini, validasque in rupibus arces
suspiciunt antrumque vident. Hinc fabula Caci
Herculeusque labor placido sermone morantes
detinuit lotaeque boves in gurgite Tusco.
Hic quoque Sublicii pontis pila discolor acris
Coclitis admonuit, statuaque insignis equestri
ille locus tenuit fixos in virgine torva.
Hinc sedem Solis mirantur et aurea templa
Tellurisque domum, Capitoliaque alta paventes
ascendunt ipsumque putant contingere caelum.
Hic hominis caput inventum fodientibus alte
audivere, prius patriae portenta coacti
et bubalum damnare suum subigendaque turpi
colla jugo et duri praesagia certa laboris.
Hic cellam videre Jovis, qua ditior usquam
nulla fuit, censumque alta sub rupe repostum,
liminaque innumeris jam tunc calcata triumphis
et niveos currus et rapta ex hostibus arma,
aurea magnorum nec non diademata regum
sceptraque et armillas et dempta monilia collo
gemmatosque frenos sellasque ex ordine eburnas.
Hic clipeos fractasque rates ac Punica signa
et phaleras novere suas ; tacitusque per omnes
luctus iit veteris referens vestigia belli.
Tum volucris per templa vagos argentea paulum
occupat incursu Gallorum et voce canora.
Procedunt, fortesque viros habituque verendas
matronas amplasque domos variisque gravatos
bellorum exuviis arcus et crebra videntes
signa triumphorum solidoque in marmore pugnas
atque sepulcrorum pompas. Monstrantur aquarum
sub terram caeloque viae. Jam valle Suburrae
Caesaream videre domum, cui summa potestas
debita, cui rerum princeps. Hinc valle relicta
Esquilias fessi dictumque a vimine collem,
inde Quirinalem superato vertice montem
transierant, nudoque duos astare gigantes
corpore conspiciunt - en quot certamina famae ! -
Praxitelis opus Phidiaeque insigne supremi.
Scipiadum hic latis excelsa palatia muris
atque arces tremuere feras et cognita bello
signa nimis Libyae nomenque genusque superbum.
Hinc laeva flexere viam. Flaminia jam tunc
porta vocabatur, quae Tuscum respicit orbem.
Martius hac reduces vicino flumine campus
excipit. Hic longo traducens ordine rerum
planities sine fine patet : quis fascibus altis
Primus honos, quonam pectus matrona pudicum
vulnere trajecit, cui sit commissa virorum
libertas et qua natos ferus ille securi
percutit ; ac pulsos violata ex urbe tyrannos
accipiunt, et cuncta notant. Laevaque Minervae
amplaque cunctorum monstrantur templa deorum,
venturae ad meliora domus. Jam Tybridis alti

gurgite transmisso, dextrae super aggere ripae
Etruscum tetigere latus : ductorque viarum
Romuleum immensa designat mole sepulcrum,
progrediturque loquens quo ductus ad astra Quirinus
turbine transierit, qua tempestate Senatum
obruerit trepidum, metuensque ut palluerit sol ;
et Proculi visum memorat Capreamque paludem ;
at crimen silet ille Patrum. Jam flumina praeter
descendunt, collemque vident ubi regia Jani
prisca fuit, juxtaque domus Saturnia quondam :
Ausoniae hic regum et Latiae primordia gentis
ultima condiscunt et nomina clara virorum.
Hic Italus prior aeterni rex nominis auctor
Italiae Picusque comes stirpsque omnis avorum
narratur, populique novi monstratur asilum.
Inferius longi tenuit certaminis illos
historia et Clusio redeuntes robore reges
castraque Porsennae, utque incumbens Scaevola flammis
supplicia erranti infligat non debita dextrae.
Inde Lycaonia gemino brevis insula ponte
pervia transitur. Poterat vix ulla relatis
esse fides monstris, tantas quod flumine moles
regia praeda olim populo spargente dedisset.
Jam campana iterum laevae confinia ripae
calcabant, Fabiasque domos miserandaque tanti
funera discebant generis Cremeramque nocentem.
Ut Capitolino redeuntes vertice tandem
defessum tenuere gradum, tum protinus ingens
visa revolventes stupor arripit. Inde sedentes
attoniti siluere diu. Mox facta videndi
copia captivos. Stabant horrentia longo
agmina maesta situ pallentiaque ora tumebant
nudaque perplexis onerabat terga capillis
caesaries incompta diu squalorque tegebat
luridus effigiem tristemque ferebat odorem.
Ferrea vincla gradum lento suspendere tractu
cogebant, manicaeque graves complexibus illos
carorum vetuere frui. Tum verba vicissim
dulcia permiscent, sed perstrepit aere catenis
redditus excussis stridor lacrimaeque per ora
egregia pietate fluunt. Quae fata, quis urbis
sit status inquirunt patriae, quae numina victos
respiciant. Velut infernis ubi Manibus olim
umbra recens nostroque ruens descendit ab orbe
suppliciis onerata suis, illam anxia circum
agmina funduntur, nova quidnam nuntiet hospes :
haec nati petit eventus, ast illa relictae
conjugis explorat vitam seniumve parentum ;
haec de fratre gemens, aut dulci inquirit amico ;
publica cura omnes supero quis vultus in orbe
una tenet ; quis sceptra regat, quis flectat habenas
imperii, quid bellorum quantumne quietis ;
oraque sollicitis exsanguia rictibus hiscunt
noscendi studio ; sic carceris hispida turba
hospitibus instare novis et quaerere multa.
Postquam finis erat lacrimis, petit ipse suorum
ut redimenda darent aliquot modo corpora blandus
Hasdrubal. Ast illi, victores nulla negare

munera qui nossent, scriptis quae nomina vellet
edere praecipiunt. Lectos dedit ille ducentos,
quos posito squalore pius facilisque Senatus
in Libyam perferre jubet, si foedera pacis
firma forent, nullis pretiis, pro munere solo
reddendos patriae. Cunctis sic rite peractis,
Hasdrubal invisae quondam, nunc moenia carae
Urbis amica retro rediens hac voce salutat :
"Urbs accepta deis, caput orbis et unica mundi
gloria, terra ferax, clarorum sola virorum
o patria armipotens, divum domus, optima rerum,
Roma, vale ! Jam laetus eam quocumque vocabunt
fata senem. Vidi quantum visurus in orbe
hoc fueram." Dixit : tum Tybridis ostia linquens
navigat in patriam, victor, captivaque secum
agmina mittuntur. Liceat terrestria caelo
aequare, eternis mortalia, maxima parvis :
sic prope descendens caelo sua vincla resolvit
captivis antiqua potens et Tartara fregit
voce deus secum in patriam miseranda reducens
agmina et exhaustas longis cruciatibus umbras.
Scipio pacifico redeuntem suscipit ore.
Pax populis ducibusque placet, foedusque feritur
ante aras testesque deos, caesaeque litantur
terga suis dextraeque ducum junguntur inermes.
Rursus in Italiam reditum et firmante Senatu
acta ducis, pax in libros relata vetusto
more patrum, legesque datae jurataque verba.
Scipio longaevo gaudens posuisse labori
jam finem, reditumque parans, in praemia totus
vertitur, ac laudes et dona ingentia solvit
militibus. Cirtam Syphacisque omnia regi
donat et emeritum regni confinibus ultro
ampliat immensis ; victos ex foedere damnat
reddere res regi socio pactumque tributum
solvere Romanis. Hinc ad condigna reversus
supplicia et justas vario discrimine poenas,
mitius in servos egit : servile putavit
esse fugam, non nosse fidem. Quicumque repertus
liber militiae desertor, protinus ille est
supplicio extremo affectus : qui jura fidemque
tempore tam dubio jurataque liquerit arma,
Romanos crucibus rigidus dedit, atque Latinis
abscidit merita trepidantia colla securi.
His actis, classem solvit comitante senatu
extremum in litus Poenorum et supplice turba
victorem mirante suum ; quos ille benigne
digrediens dictis postremum affatur amicis :
"Vivite contenti proprio, memoresque deorum
vivite, nec caecos iterum furor invidus arma
induat. Imperium antiquis stat finibus amplum
et leges patria cum libertate relictae.
Gloria sit quamquam latum imperitare per orbem,
tutius est parere bonis : mihi credite, vobis
in longum quaesita quies ; nos dura laborum
sarcina sollicitos ullo sine fine tenebit.
Hostis erit quicumque usquam nudaverit ensem,
qui nova bella manu, bellorum aut verba movebit.

Cura laborque gravis scelerum censura per orbem ;
at vobis tranquilla salus sine litibus ullis :
praesidium in nobis, nisi temnitis, omne paratum
semper erit. Poenos inter nostrumque senatum
sponsor ego. Placidam tandem condiscite vitam :
sumite placatas mentes, deponite ferrum
ex animis ; tales tanto nisi turbine frustra
bis docuit fortuna viros. Dimittite tandem
aequoreas tentare vias : discrimina quanta
praecidam, quantumque mali quantumque laborum !
Exuram classem, quae vos per cuncta furentes
litora raptabat, quae vobis prima malorum
materiam dedit Ausoniisque incumbere regnis
compulit ac timidos docuit transcendere fluctus.
Haec vestris fortasse oculis spectacula dira
si fuerint, cohibete animos, membrumque putate
abscindi vitae infestum. Satis ampla tenetis
regnorum spatia et secti confinia mundi.
Sat terris errare licet. Funesta voluptas
curarum est homini : statui succurrite vestro ;
consulite et nobis, curamque auferte metumque
Hannibalis, rabiemque suam sibi linquite soli.
Si quid erit dubii quod publica fata monebunt,
Hos audite senes." Dixit dextrasque prehendit
illorum : ambo autem deflexis genibus una
ante ducis cecidere pedes, hinc maximus Hanno,
Hasdrubal hinc Haedus. Tota jam classe soluta,
Scipio provectus paulum subsistit et omnes
imperat hostiles flammis absumere puppes.
Non alias tantae pelago fulsere favillae
aut Thetis extimuit late torrentibus undis
defectum ; non dum currus optata paterni
lora puer rapuit Phoebeus et aethera flammis
accendit mundumque vagis. Si saecula retro
omnia percurris, sola haec incendia sensit
Neptunus metuenda sibi : non Punica quondam
Romanis facibus bello consumpta priore
Spartanisque prius, non Attica litore classis
usta Syracusio tantas dedit aequore flammas.
Torpuerant miseri cives sua damna gementes,
haud aliter quam si subito praedulcia cunctis,
conjugia et nati atque arces et templa deorum
ipsaque Carthago flammis arderet in illis.

## LIBER NONNUS

A9 Scipio provectus pelago Romanaque classis
jam placidum sulcabat iter. Non rauca procellis
aequora fervebant ; ventisque silentibus undas
victorem sensisse putes. Tranquillior illis
vultus erat, caelo facies composta sereno.
Sic hostile fretum, sic cuncta elementa videres
obsequio mulcere ducem. Jam litora longe
Africa linquebant alacres et bella canentes
ibant ac valido frangebant remige fluctus.

Puppe ducis media tacitus meditansque sedebat
Ennius, assiduus rerum testisque comesque ;
Scipio quem tandem aggreditur verbisque benignis
excitat incipiens : "Nunquamne silentia rumpes,
o mihi multorum solamen dulce laborum ?
Fare, precor ; nam perpetuis tabentia curis
pectora nostra vides. Placido sermone levare
illa soles ; faciesque modo, tantum ora resolve,
si tibi nascenti, quo polles, summus Apollo
ingenium caeleste dedit, si turba dearum
Castalio infantem demersum gurgite lavit
ex Helicone sacro, collesque eduxit in altos,
et calamum et vocem tribuit mentemque poetae."
Ennius auditis caput extulit atque ita fatur :
"O flos Italiae, juvenis, stirpisque deorum
certa fides, quid nunc nostro placet ore moveri,
quidve jubes ? Equidem tacito modo pectore mecum
volvebam quod nulla ferent jam saecula majus
eximiae virtutis opus, quam nostra quod aetas
laeta videt, nullusque unquam sub mente movebit
grande aliquid, cui non, magnas spes inter, honestum
nomen in ore sonet, qui non venturus ad actum
Scipiadae meminisse velit, pro munere vultus
non cupiat vidisse tuos. Majorque sepulcri
post cineres te fama manet. Mortalia livor
carpit enim ; at mors invidiam consumit et arcet
ac procul a bustis abigit. Tua gloria pridem
vicerat hanc pestem, jamque altas tuta per auras
fugit humum morbosque hominum moresque malignos,
seque parem tulit alma deis. Tamen ecce supremum
incrementa diem famae tibi multa daturum
promisi expertus ; quoque ipse a morte recedes
longius, hoc major meritum te fama sequetur.
Tempore crescet honos perque ultima saecula mundi
clarus eris. Virtus quoniam non altius ibis :
descensus vereor. Sed nostra peritia fandi
nondum propositam valuit contingere metam,
nuper ab exiguis radicibus orta, nec ante
cognita per Latium, Argolicis contenta colonis.
Hoc igitur mecum indignans sub mente movebam,
praecones meritos tua quod notissima virtus
non habitura foret. Macedum rex magnus amici
forte videns saxum Aeacidae titulosque sepulcri,
"Fortunate" inquit "juvenis, cui nominis illum
praeconem reperire fuit ! " Non parve profecto
est claris fortuna viris habuisse poetam
altisonis qui carminibus cumulare decorem
virtutis queat egregiae monimentaque laudum.
At tibi, summe ducum, claro quo nullus Homero est
dignior, in reliquis blanda inque hoc durior uno
me solum fortuna dedit. Currentibus annis
nascetur forsan digno qui carmine caelo
efferat emeritas laudes et fortia facta
et cui mellifluo melius resonantia plectro
Calliope det fila lyrae vocemque sonoram."
"Parce, precor, verbis : tibi non, me judice, vates
Maeonius nec jure tibi praeponitur altus
Euripides aut quos claro cognomine Grai

concelebrant. Alio nolim me carmine dici,
si dicendus ero. Quin quod te poscimus" inquit
Scipio "prosequere ; et quae sint permissa poetis,
famosaeque rei certos agnoscere fines
te liceat monstrante mihi : quid laurea signet
tam ducibus claris quam vatibus addita sacris.
Neve tibi indignus videar cui talia forte
narrentur, nobis animum dulcedine quadam
pulchra movent, et continuis hoc pectus ab armis
dulcia concussum placidae capit otia linguae."
Ille autem : "Nulla est, fateor, tam dura feroxque
mens" ait "alme ducum, cui non sit pulchra voluptas
interdum curas inter vitaeque labores
Pierios audisse modos dulcesque dearum
irrepsisse choros. Sed enim haec praecordia numquam
a Musis aversa reor. Non talibus astris
tam magnum genuisse virum natura videtur.
Errasset, si cui dederat cupidissima famae
pectora, Musarum non ingessisset amorem.
Quisquis enim se magna videt gessisse, necesse est
diligat aeternos vates et carmina sacra.
At nunc quod nostro poscis sermone doceri,
accipe quam brevibus. Non illa licentia vatum est
quam multis placuisse palam est.
Scripturum jecisse prius firmissima veri
fundamenta decet, quibus inde innixus amoena
et varia sub nube potest abscondere sese,
lectori longum cumulans placidumque laborem,
quaesitu asperior quo sit sententia, verum
dulcior inventu. Quicquid labor historiarum est
quicquid virtutum cultus documentaque vitae,
naturae studium quicquid, licuisse poetis
crede : sub ignoto tamen ut celentur amictu,
nuda alibi, et tenui frustrentur lumina velo,
interdumque palam veniant, fugiantque vicissim.
Qui fingit quodcumque refert, non ille poetae
nomine censendus, nec vatis honore, sed uno
nomine mendacis. Potes hinc perpendere quicquid
scire petis : nostri quae sit mensura laboris,
et latos fines, et quanta licentia nobis.
Laurea restat adhuc : cujus dignare parumper
participes nos esse tibi. Si gloria bello,
nec minus ingenio constat, patiere virenti
fronde duces vatesque simul sacra tempora cingant.
Immortale decus viror immortalis utrisque
indicat et longae promittit tempora vitae.
Hinc deus ingenii lauros amat almus Apollo,
Pieridum solitus cithara modulante choreas
incola Cirrhaeo totiens duxisse sub antro.
Praeterea hanc frondem rapido non fulmine vexat
Jupiter ex cunctis, talemque meretur honorem
laurus : ab aethereo tanta est clementia rege.
Jam famae quod fulmen erit, nisi sola vetustas
omnia prosternens ? Hunc gloria nostra pavorem
non habet, atque ideo spernentis fulmina frondis
serta gerit sanctoque legit de stipite ramos."
Dixerat. At Scipio subridens : "Omnia mulcent ;
sed laedis brevitate tua ; et dum dulcius inter

ista sonant, medio sitientes calle relinquis.
Ergo age ! Nam nullum jam litus cernitur, et sol
transivit caeli medium. Tu dulcia prome
verba, quibus mens alma scatet, placidoque volentes
et longo sermone feras, partemque diei
et partes pelagi minuens." Tunc ille coactus
incipit - hic omnes tenuerunt murmure nautae
et comites siluere ducis : "Vestigia famae
rara sequens, quantum licuit per saecula retro
omnia pervigili studio vagus ipse cucurri,
donec ad extremas animo rapiente tenebras
perventum primosque viros, quos fama perenni
fessa via longe ignotos post terga reliquit.
Hic quisquis merito fulgens fuit obvius, illum
amplexu tenuisse animi mihi gloria summa est
inque locum cari semper coluisse parentis.
Praecipue illustres calamo florente poetas
admisi atque ima cordis sub parte locavi.
Milibus ex tantis unus mihi summus Homerus,
unus habet quod suspiciam, quod mirer amemque.
Ille mihi e caelo veniens tam saepe videtur,
ut stupeam potuisse hominem sic alta tenere,
astrorum sic nosse vias, sic climata terrae !
Qui licet ante novos reges et tempora Romae
floruerit, tamen hoc in tempus mente reduxi
praesentemque animo ficta sub imagine feci.
Hoc sine nulla dies abiit, nox nulla sine illo.
Ille breves cenas in longum traxit, et idem
nunc longam breviare viam, nunc tramite plano
edocuit rigidi transire cacumina montis :
denique quicquid agens, nullo discrimine secum
sopitus vigilansque fui, noctemque diemque.
Hic mihi nunc etiam dubii sub tempore belli
affuit in somnis. Quis somnum dixerit illum ?
Pervigil astabam. Fracta nam pace sub armis
omnia fervebant ; seroque in castra reversus
contigeras animum. Jubeas si vera fateri,
non timui ; tamen in dubio spes fessa pependit
usque sub occasum solis. Tum maxime pernox
cura animum tenuit, quid secum postera ferret
tot motus clausura dies. Hic nocte sub alta
aspicio adventare senem, quem rara tegebant
frusta togae et canis immixta et squalida barba.
Sedibus exierant oculi. Cava frontis imago
horrorem inculta cum majestate ferebat.
Dirigui. Tunc ille manu similisque videnti
occupat ancipitem Graioque haec more profatur :
"Salve, care mihi Latiae telluris amice
unice ! Quodque diu votis animoque petisti,
aspice qualis erat quondam dum vixit Homerus.
Huc ego vix tandem reserato carcere Ditis
emersi, tacitae perrumpens viscera terrae".
Procubui voluique pedes contingere pronus :
umbra fuit nudaeque haeserunt oscula terrae.
"Surge" ait "et mecum ex aequo, nam dignus es, ultro
congredere et, dum tempus habes, tam saepe negato
colloquio satiare meo". Tum protinus ardens
exsurgo "Gentisque ingens o gloria" dixi

"Argolicae summumque decus, quis talia tanto
supplicia inflixit ? Sacrae quis lumina frontis
naturaeque duces rapuit, tantumque nocere
sustinuit mundo ? Non hic mihi creditus olim :
Lyncea quin acies animo occursabat amanti
visque oculis immensa tuis. Quos Graecia portus
dives habet gemino late circumflua ponto ;
quos colles, quae rura colit, quae vallibus imis
antra tenet, quaenam frondosa cacumina silvis
aut pelago scopulos, quos non mihi lumine certo
monstraris ? Cernenda aliis longinqua dedisti,
ipse propinqua videns minime ? Miracula menti
quanta meae ! Aegeo diffusas ecce profundo
Cycladas hinc numero ; video quot litore flexus
Hellespontiaco : tu me nequis ipse tueri,
ostendens tam multa mihi ! " Tum suscipit ille :
"Vera quidem memoras ; sed non miranda. Quid ergo ?
Qui mihi corporeos deus abstulit, ille nequibat
restituisse alios quibus haec arcana viderem ?
Desine jussa dei solitis onerare querelis,
mortalis ! Namque iste hominum stultissima lis est.
Justa facit quaecumque facit. Sed noscere cuncta
vestra nequit gravitas sub opaci carceris umbra.
Quam multis nocuere oculi visusque vagari
compulit et coepto forsan semovit honesto !
Hinc ea sponte quidem, gravis ut nocituraque multis,
sarcina deposita est. Quin hinc modo pergimus ultra ?
Tu caecum ne sperne ducem. Fortasse videbis
multa animo placitura tuo. Nec cura futuri
solicitet casus. Quoniam lux crastina campos
sanguine Poenorum Latio victore rigabit".
Prosequor augurio laetus.
[Lacune]
hic ego - nam longe clausa sub valle sedentem
aspexi juvenem - : "Dux o carissime, quisnam est,
quem video teneras inter consistere lauros
et viridante comas meditantem incingere ramo ?
Nescio quid, nisi fallor, enim sub pectore versat
egregiumque altumque nimis". "Non falleris," inquit ;
"agnosco juvenem sera de gente nepotum,
quem regio Italiae, quemve ultima proferet aetas.
Hunc tibi Tusca dabit latis Florentia muris
Romulea radice oriens, urbs inclita quondam,
nunc nihil. Utve queas ortus confinia nosse,
divitis egregius muros interluet urbis
Arnus in Ausoniae descendens litora Pisae.
Ille diu profugas revocabit carmine Musas
tempus in extremum, veteresque Helicone Sorores
restituet, vario quamvis agitante tumultu ;
Francisco cui nomen erit ; qui grandia facta,
vidisti quae cuncta oculis, ceu corpus in unum
colliget : Hispanas acies Libyaeque labores
Scipiadamque tuum : titulusque poematis illi
"Africa". Quin etiam ingenium fiducia quanta,
quantus aget laudum stimulus ! Seroque triumpho
hic tandem ascendet Capitolia vestra, nec ipsum
mundus iners studiisque aliis tunc ebria turba
terrebit quin insigni florentia lauro

Tempora descendens referat comitante Senatu.
Hinc modo tantus amor, tanta est reverentia lauri.
Omnibus ex silvis jam nunc sibi gratior una est
Delphica ; jamque novas discit connectere frondes
serta gerens ; jam venturi praesagia mulcent.
Iste senescenti tantum illo in tempore Romae
carior, annosae quantum contingere matri
filius ille solet, quem post lacrimosa sepulcra
natorum viduae sterilis tandem attulit alvus.
Illa quidem, quae jam lustris nil tale ducentis
viderit, hunc magno spectabit laeta favore,
laurea dum capiet, dum templis serta relinquet
primitiasque suas sanctas affiget ad aras.
Florentina omnis magis ut sit grata propago
idem unus tibi, Roma, dabit, nec protinus urbem
paeniteat Tusci fundasse ad gurgitis undam.
Hic quoque magnorum laudes studiosus avorum
digeret extrema relegens ab origine fortes
Romulidas, vestrumque genus sermone soluto
historicus, titulosque urbis et nomina reddet.
In medio effulgens nec corpore parvus eodem
Magnus erit Scipio ; seque ipse fatebitur ultro
plus nulli debere viro. At si vita manebit
longior, et nullo praevertet turbine coeptum
impetus alter iter, tunc ampla volumina cernes
magnarum rerum vario distincta colore
in tempus perducta suum. Quis cuncta renarret
quae clausa sub mente gerit ? Pulsabar anhelo
pectore, visendi cupidus cupidusque loquendi
interea, et magnum - quis credere posset ? - Homerum
dulcibus optabam verbis imponere metam.
Jam mihi carus erat te propter et alta relatu
cetera. Procedo sensim propiorque parumper
conspicio curis gravidum sub flore juvente
et calamo haerentem viridique in gramine saeptum
arboribus variis nitidissima flumina juxta
ac gelidos inter fontes rupesque prealtas.
"Respice" dux inquit "quae sint umbracula ruris
effigiesque sui. Namque hic ad talia primum
eriget ingenium ; varius mox partibus orbis
et terra pelagoque vagus concepta per annos
desperata sinet. Vix rerum turbine tandem
explicitus magno transibit plurima cursu".
Singula mirabar, vix auditaque salute
sustulerat gravis ille oculos et dicta parabat,
cum matutino litui clangore repente
excutior visis, somnusque recessit inanis,
teque aciem video mediis educere campis
sublimem hortantemque viros et signa moventem."
Ennius, interea, dum talibus ore disertus
aequoreum permulcet iter - jam fessus anhelos
Phoebus Atlanteo recreabat gurgite currus -
haud aliter quam qui levibus per plana quadrigis
vectus et irriguo perfusus membra sopore
non sentit transire diem longamque repente
decrevisse viam stupet et vix credulus audit,
Hesperio laevus Zephyrus surgebat ab axe.
Vela levat classis ; tum dextro tramite prore

volvuntur, fratrisque locum vice Cynthia pernox
invigilat, lassisque datum requiescere nautis.
Remigis ut strepitus siluit stridorque rudentum,
Scipio mitis ait : "Seu sunt, seu talia fingis,
dulcia sunt, fateor, sensusque et pectora mulcent.
Illum equidem jam nunc juvenemque novumque poetam
complector, tibi nunc visum quondamque parenti,
promissumque mihi gemino sponsore profecto
diligo, quisquis erit ; si nullus, diligo nullum."
Dixerat, et facili praebebant corpora somno.
Sol pelago rediens ubi primum emersit Eoo,
ingentesque procul jactabat carbasus umbras,
litora prospiciunt alacres Lilybeia nautae
Trinacriamque pari concordes voce salutant.
Jam Drepanum praetervecti jamque omne remensi
inde latus Siculum, solidae telluris in arvis
ut primum posuere pedes, pulcherrima rura
terrestri secuere via. Non carmine nostro
laetitia Italiae, non occursantia passim
agmina victori, populi non urbibus haustis
servata grates pro libertate canentes
stare queant ; donec patriae sub moenia ventum est
et luxit sperata dies tempusque triumphi.
Hic quoque, Calliope, quamquam sub fine voceris,
dextra veni seroque favens assiste labori.
Pulchrior Ausonio nunquam surrexerat orbi
ulla dies. Roseo vultum suffusa rubore
Phoebeos frenabat agens Aurora jugales ;
laetior ipse quidem solito et formosior alte
imperiis urgebat equos, jam lumine Romam
Appenninigenae spectans de vertice silvae.
Conveniunt proceres, portis ruit obvia turba.
Sexus uterque frequens, aetas se proripit omnis,
omnis honos omnisque gradus : substernitur auro
omne solum et variis resplendent pulpita gemmis.
Purpura per vicos sparsa est et purpura tectis
obtentu factura viris victoribus umbras.
Inde senum miti descendunt agmina vultu,
hinc juvenum phalerata phalanx in limine primo
exceptura ducem. Facie subit ille serena
ardua purpureo residens sua moenia curru
et niveis invectus equis ; generisque ferebat
aetherei frons alma fidem. Tum milia vinctis
post tergum manibus captivi tristia vulgi
procedunt : Macedum proceres, quo bella Philippus
foverat auxilio : Sopater dux primus et ipsum
sanguine contingens regem maestissimus ibat ;
post omnis legio gravibus connexa catenis
insequitur. Tum parte alia spectacula magni
Syphacis : miseranda habitu namque obruta vinclis
majestas lacrimis pectus terramque rigabat
flensque retro ad magnum referebat lumina crebro
humida victorem : qualem sprevisset amicum
mente notans tacita. Praeter tot dura ruinae
angebat miserum pudor. Ingens turba suorum
regia consequitur tremulo vestigia gressu.
Hinc meriti cives, laqueis gens perfida justis
Poenorum perplexa venit, pulcherrima Romae

moenia suspiciens : mox frater Hanibalis illis
primus erat ; Maurae subeunt post agmina gentis
Gallorumque manus ; Italus namque ordine in illo
nemo fuit : digna meritos mulctaverat omnes
morte simul, terreque hostes mandaverat Afrae
indignos patriae aspectu et tellure sepulcri.
Ante ebur et radians aurum et pretiosa supellex
et vestes ostro insignes penitusque potentum
divitiae regum pompa celebrante vehuntur.
Inde graves clipei praereptaque fortibus arma
signaque et horrentes galeae cristaeque trementes ;
post tristes ducuntur equi domitique elephantes
demissa cervice graves. Puerilia circum
milia funduntur : turba obstrepit inscia rerum,
bellua Barbarico quod tanta veniret ab orbe.
Hinc illinc Romana acies erepta nefando
servitio laetumque canens ex more triumphum
concelebrat, nequeuntque oculos satiare videndo
servatore suo. Prior it Terentius horum
culleo : vir clarus, Latia tunc urbe senator,
libertus veluti carum coluisse patronum
Scipiadam fertur vitam obsequiosus in omnem.
Ultimus it victor. Latiis exercitus armis
atque equitum peditumque acies, velut obvius esset
Hannibal in primo venturus limine contra,
tum tubae et horrisonis victricia classica late
perstrepuere modis : tremuerunt Tybridis undae
ac circum pavet omne nemus ; fragor horridus Albam
Argolicumque quatit Tibur gelidumque Soracte
et Praenestinis rigidas in collibus arces.
Sic tandem insueto Capitolia celsa triumpho
ingreditur, gratesque deis persolvit amicis ;
immensumque auri montem ingentesque recondit
thesauros in templa Jovis, tempusque per omne
ditavit patriam. Sibi sed cognomine solo
contentus nihil hic proprias invexit in aedes.
Nec dubium quin ad reliquos per bella triumphos
straverit ense viam atque orbis patefecerit Urbi
imperium : puduit neminem Carthagine victa
subdere colla jugo, dominosque agnoscere mundi
Romanos bello indomitos populumque Quirini.
Ipse coronatus lauro frondente per urbem
laetus iit totam Tarpeia rupe reversus.
Ennius ad dextram victoris, tempora fronde
substringens parili, studiorum almaeque Poesis
egit honoratum sub tanto auctore triumphum.
Post alii atque alii studio certante secuti.
Ipse ego ter centum labentibus ordine lustris
dumosam tentare viam et vestigia rara
viribus imparibus fidens utcumque peregi,
frondibus atque loco simul et cognomine claro
heroum veterum tantos imitatus honores,
irrita ne Grai fierent praesagia vatis.
Nunc ego non ausim vos hinc ad tristia, Dive,
materiamque trucem post tot modo laeta vocare.
Quin potius longe fugite atque avertite vultus.
Certe ego vobiscum fugiam tristesque querelas
invidiae, procerum crimen culpamque Senatus

non referam, populique nefas ac sponte receptum
exilium mortemque ducis titulumque dolentis
aspera marmoreo subscriptaque jurgia busto.
Haec memorent alii : mihi nam certissima mens est
hic metam posuisse operi ; patiarque nec unquam
carmine tam maesto sacras maculare Sorores.
O mea non parvo mihi consummata labore
"Africa" ! Dum crescis, dum te comens relegensque
mulceo, magnanimum mors importuna Robertum
intempestive mundo subtraxit egenti ;
et mihi praerepta penitus dulcedine vitae,
speratum tibi clausit iter. Quo tramite perges,
infelix ? Monstrabo viam. Non atria luctu
turbida funereo, non dulcia limina quondam
Parthenopea petes. Tepidi nova saxa sepulcri
tristis adi lacrimisque riga. Cum videris illic
ingentem exigua regem tellure jacentem,
te sibi viventi promissam redde sepulto
ac cineri persolve sacro : nam spiritus astra
jam repetens, terrasque retro despectat inertes ;
sceptra caduca fugit, mortales negligit actus.
Ille tamen, quamquam regni diadema relicti
rideat et curas veteres, nimiosque labores
erroresque hominum solio miseratus ab alto,
nos, nisi fallor, amat ; nostri mitissimus olim
arbiter ingenii. Quo terris sidere rapto
heu heu quam vereor ne quid tibi durior aetas
obstrepat et titulis insultet caeca decoris !
Hospes Pieridum nostro jam solus in aevo
reddere promeritum studiis qui nosset honorem,
interiit : secumque simul spes nostra recessit.
Felices quos illa prius meliora tulerunt
tempora ! Nosque utinam... Nequicquam vana precamur !
Non licet ire retro. Nos cuncta novissima seros
et ferus adverso prospexit Jupiter axe.
Utendum sorte est et sidera nostra sequenda,
qua ducunt, ne forte trahant. Mihi degere vitam
impositum varia rerum turbante procella.
At tibi fortassis, si - quod mens sperat et optat -
es post me victura diu, meliora supersunt
saecula : non omnes veniet Lethaeus in annos
iste sopor ! Poterunt discussis forte tenebris
ad purum priscumque jubar remeare nepotes.
Tunc Helicona nova revirentem stirpe videbis,
tunc lauros frondere sacras ; tunc alta resurgent
ingenia atque animi dociles, quibus ardor honesti
Pieridum studii veterem geminabit amorem.
Tu nomen renovare meum studiosa memento :
qua potes, hac redeat saltem sua fama sepulto
et cineri reddatur honos. Mihi dulcior illo
vita erit in populo et contemptrix gloria busti.
Interea tamen haec, jubeo, per inertia transi
agmina sollicito populorum incognita passu,
vix procul extremo salutata a limine linquens,
heu paucas habitura domos et rara per orbem
hospitia ! At si quem vere virtutis amicum
obtulerint tua fata tibi, secura repostum
angustumque precare locum sub paupere tecto,

atque ibi, sola quidem potius peregrinaque semper
quam comitata malis, annosa fronte senesces,
donec ad alterius primordia veneris aevi.
Tum juvenesce precor, cum jam lux alma poetis
contigit incolumem tumidasque efferre per undas,
per te ipsam jam facta senex, precor, ista cavere
post mea fata velis, quodque omnia proterit unum
tempus edax rapidosque dies solemque vorantem
saecula et invidiae tristes contemnere morsus.